BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE FIRENZE
RINASC.
A
93
CONSULTAZIONE

R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE
FIRENZE.

OPUSCOLI RACCOLTI

DA

GARGANO GARGANI

Nato a Firenze il 22 Aprile 1820.
Morto al Pratello, presso Varlungo, il dì 8 Novembre 1889.

10 Febbraio 1890.

Digitized by Google

VITA
ROMULI AMASÆI

A

FLAMINIO SCARSELLIO

DESCRIPTA

NOTIS ILLUSTRATA

TESTIMONIIS AC MONUMENTIS

COMPROBATA

SENATUI BONONIENSI

DICATA.



BONONIÆ. MDCCLXIX.

Typis Joannis Baptistæ Sassi. *Superiorum Permissu.*

Digitized by Google

Rm. H.93

Digitized by Google

)(III)(

AMPLISSIMO ATQUE EXCELSO

BONONIÆ

SENATUI.

FLAMINIUS SCARSELLIUS F.

EXtremum, ut arbitror, ſtudiorum, & officiorum meorum fructum prodire non patiar, quin veſtro, PATRES AMPLISSIMI, nomine inſcriptus, & commendatus appareat. Extremum, inquam; ſentio enim, vel propter infortunia tem-

porum, vel propter ingraveſcentis ætatis incommoda, vel propter inſtantium per menſes prope ſingulos dolorum acerbitatem, animi facultates, vireſque corporis labefactari in dies, infringi, atteri, ſenſimque deficere. Fateor tamen, cum primùm de inſcriptione ipſa cogitarem, hæſiſſe me parumper, ac dubitaſſe, ne quando obſequii erga VOS mei teſtimonium proferre aliquod vellem, imprudentiæ potius, aut negligentiæ notam offenderem. Pudebat ſiquidem laborem hunc meum, qui ſupremus eſſet, ei ſcilicet MAGISTRATUI offerri, ad quem non extrema ſolum, ſed prima, ſed media, mea denique omnia, quantulacumque eſſent, tum ingenii, tum diligentiæ ſpecimina pertinerent; cujus ego jam a prima adoleſcentia auctoritatem, & dignitatem vererer; qui me perpetuis, nunc Bononiæ, nunc Romæ, commodis, & ornamentis auxiſſet, privilegiis, & honoribus nobilitaſſet. Sed aliorum Opuſculorum, quotquot hactenus a me ſunt edita, genera, & argumenta conſiderans, cauſaſque, & fines, & occaſiones, & tempora memoria repetens, prorſus intelligo, nihil a me contra obſervantiam erga VOS meam peccatum eſſe, & inſcribendi quidem Operis opportunitatem, atque materiam, non inſcribendi animum defuiſſe. Quid enim aut Orationes inſcriberem, quæ ſuis quæque temporibus, & locis accommodatæ, ſuis quæque vel diſciplinis,

vel

vel perſonis addictæ in aliena potiùs laudatione, quàm veſtra, conſiſtere, & exultare videbantur? Aut legiones Lyricorum Carminum propemodum infinitas, quæ, ſi rerum, de quibus ferè concinunt, naturam attendimus, & Philoſophos agere malumus, quàm Poetas, interdum inepta, plerumque inutilia, & inania haberi poſſunt, mihique leviora ſemper, & exiliora ſunt habita, quàm ut veſtro ſiſti, & honeſtari nomine merentur? Porro Apocalypſis Divi Joannis Italicis ejus metri verſibus reddita, qui vulgo *Capitoli*, ſeu *Terzine* vocantur, ſtatimque a meo in Urbem adventu Patavii edita, nemini dicari ſe, præterquam P. O. M. BENEDICTO QUARTODECIMO, poſtulabat. Meminerat enim tanti Pontificis auctoritate factum eſſe, ut emitti palam, & oculis hominum ubique, & liberè ſubjici poſſet; & res profecto ipſa religionis, & myſterii plena ſanctiſſimum illum, & ſapientiſſimum Principem reſpiciebat. Sic Opere ſanè præclaro, cui titulus = *Les Avantures de Telemaque Fils d' Ulyſſe* = e Gallico idiomate in Italicum verſo, Heroicíſque Carminibus, qualia Poeſim Epicam decent, modiſque id genus, & numeris, qui apud nos *Ottave* appellantur, digeſto, tantiſperne ambigere, animique pendere fas erat, cui potiùs laborem illum, quàm CHRISTIANISSIMO GALLIARUM REGI, ſi modo per ipſum liceret, commendarem,

cujus florentiſſimo in Regno Poema pulcherrimum, idemque utiliſſimum a Gallo homine natum eſſet, totumque in id maximè intendiſſet, ut auguſtum REGIS ipſius genitorem BURGUNDIÆ DUCEM non tam rerum, & verborum copia, atque elegantia erudiret, non tam poeticarum imaginum, ſententiarumque nitore, ac ſuavitate oblectaret, quàm aptiſſimis morum præceptis ad rectam imperii adminiſtrationem inſtitueret, nobiliſſimis virtutum exemplis ad populorum felicitatem, & gloriam educaret? Anno denique milleſimo ſeptingenteſimo quadrageſimo ſeptimo, cum autumnalium dierum libertate, & otio fruiturus ab Urbe in Patriam divertiſſem, eſſemque ab affini meo JACOBO BARTHOLOMÆO BECCARIO & hoſpitio liberaliter exceptus, & menſa, tum verò ille, ut erat Litterarum omnium amantiſſimus, compellare me ſæpius, mirari, conqueri, totique Italiæ ſuccenſere, quòd Italorum ingenia, a quibus nimirum Diſciplinæ omnes, Arteſque optimæ fuiſſent ſemper aut inventæ, aut mirum in modum amplificatæ, atque perfectæ, & ad alias latè regiones, ac gentes traductæ, ingenia eadem non admodum in Tragicis profeciſſent, palmamque ſibi ab exteris Nationibus præripi, non ſine magna Italici nominis ignominia, paterentur; propterea hortari me, urgere, etiam atque etiam poſcere, omnique ſtudio con-

ten-

tendere, ut quem duo alia Poeſeos genera non ſine laude aliqua (ſic enim ajebat, amori videlicet indulgens ſuo) diu multùmque exercuiſſent, ſi quid forte eo quoque in genere poſſem, experirer. Quidni tanti Viri, quem ego non modo uti Propinquum, & Amicum ſemper dilexeram, ſed ut Magiſtrum, & quaſi Parentem alterum veritus fueram, conſilio, ac voluntati morem gererem? Rem igitur alacri, libentique animo amplexus, ſtudioque quàm potui maximo perſecutus, octavo demum poſt anno ſex Romæ Tragœdias edidi, quas enimvero Beccario ipſi inſcribendas putavi, quippe qui iſtius mihi ſuaſor Operis, & auctor extiterat, meamque apud ſe diligentiam probari, fidemque liberari expectabat. Nunc autem, poſteaquam Romuli Amasæi Civis noſtri Vitam, ac res geſtas deſcribere aggreſſus ſum, tandem aliquando perſpexi id mihi argumenti obtigiſſe, quod Veſtræ, PATRES AMPLISSIMI, dignitati conveniret, talemque mihi hominem eſſe propoſitum intellexi, cujus eximia in Litteras, & Patriam merita magnam acciperent a Senatu, & Senatui viciſſim redderent commendationem. Is enim annis ferè triginta tanta Bononienſis Academiæ celebritate humaniores in ſcholis litteras tradidit, idemque Senatus Scriba, & Actorum, ac Tabularum cuſtodiæ Præfectus diligentia tanta, tantaque rerum pu-

blicarum utilitate negotia geſſit, ut non modo Senatorum benevolentiam & gratiam ſemper inierit, ſed conſilia eorumdem, & facta ſingularem in modum illuſtraverit, omnique deinceps ætati, & poſterorum memoriæ mandaverit. Haud equidem diſſimulabo, priuſquam ipſe de ROMULO ſcriberem, COMITEM JOANNEM MARIAM MAZZUCHELLIUM BRIXIANUM, & JOANNEM JOSEPHUM LIRUTUM UTINENSEM, Viros eruditiſſimos, de eo ſcripſiſſe, teſtimonia ſanè non pauca collegiſſe, multaque LIRUTUM præſertim, tum de ipſomet ROMULO, tum de univerſa AMASÆORUM familia prædicaſſe. Neque tamen futurum eſſe exiſtimamus, ut laborem hunc noſtrum, tamquam inanem & irritum, omnino negligant quicumque monimenta perlegerint, quæ nos, alia quidem Bononiæ ex Archivo publico, ex ſecretiore Senatus Tabulario, ex Inſtituti Scientiarum & Artium Bibliotheca deſcripſimus, alia Mediolani ex Ambroſiana Bibliotheca, alia Romæ ex Archivo Vaticano comparavimus. Nam & numero plura ſunt, & rerum, & temporum firmitate certiora, & novitate etiam, atque amplitudine præſtabiliora, quàm quæ Scriptores illi, quantumvis accuratiſſimi, prodiderunt. Et qualiſcumque demum aliorum opinio fuerit, VOBIS certè, quorum & judicium plurimi facimus, & gratiam maximè expetimus, monumenta eadem

non

non injucunda fore confidimus, qui paſſim in illis Veſtri Ordinis auctoritatem, atque ſplendorem, & præclaras Majorum Veſtrorum virtutes, & egregia facinora reperietis. Meis verò præſtantiſſimis, chariſſimiſque Sodalibus, & mihi præſertim, qui tantam habeo cum Romulo utroque in munere conjunctionem, quàm pulchra ſe offerunt in ejus inſtitutis, & moribus ingenii, & diligentiæ, quàm illuſtria in officiis, rebuſque geſtis doctrinæ, & ſagacitatis exempla! quæ ſi pro viribus imitemur, nihil erit, quominus Patrum voluntati, & Patriæ deſiderio ſatisfaciamus, paremque cum illo dignitatem, & gloriam conſequamur. Ac mei quidem Sodales, quam ego tanto cum Viro petere ab iis, & expectare videor vel ſolertiæ, vel fidei, vel prudentiæ conformitatem, magnam jam partem adepti ſunt. Mihi autem, quem præ aliis deceat ad ipſius Romuli virtutem, ac famam propiùs accedere, magnopere dolendum eſt, me ſcilicet unum in tanta ſtudiorum, & officiorum ſimilitudine ab illo differre plurimùm, & abeſſe. Neque fortaſſe deerunt qui mirentur, quemadmodum diſcrimen hoc tantum, quod mihi probè compertum ſit, profefri nunc magis, & palam omnibus fieri non erubeſcam. Sed veſtra, PATRES AMPLISSIMI, annos jam quadraginta duos in luce verſatus, veſtriſque monitis, &

exem-

exemplis imbutus, qui cuncta non proprio, ſed alieno metiri commodo, & æſtimare ſoletis, an poteram uſque adeo tueri meam, ut publicam poſthaberem utilitatem? Hanc ergo utilitatem, non admodum de mea ſollicitus, maximè ſpecto, hanc requiro; eique ſerviens, &, quantum in me eſt, hac editione ipſa proſpiciens, non dubito, quin rem quoque facturus ſim mihimetipſi, hoc ſaltem nomine, non indecoram, VOBISQUE, quod caput eſt, in primis gratiſſimam.

RO-

Digitized by Google

ROmuli Vitam, & res geſtas ſcribere ingrediens Gentis Amaſææ, (1) e qua natus eſt, antiquam, & generoſam originem non præteribo. Sub initium ſæculi decimi quarti ea Gens Bononiæ verſabatur, (2) honeſtumque locum, & nobilem Bononienſes inter familias jamdiù obtinebat. (3) A Maſo quodam Bonicoſſæ filio (4) Amaſæa cœpit appellari. (5) Is inteſtinis Civium diſcordiis, quæ Lambertaccios inter, & Jeremæos, non ſine crebris teterrimiſque cladibus, exardeſcebant, implicitus anno milleſimo tercenteſimo octavo Patria pulſus eſt, Utinumque profectus ibi conſedit. (6) Multi enimvero ex hac familia, quæ inter nobiles Utinenſium fa-

(1) *Gentis Amaſææ Inſignia ab Alidoſio deſcripta.* Vide MONUMENTUM I. (2) *Vide inter* OPERA EDITA *Romuli ſub num.* 5. *Orationem decimamſeptimam tbi* = Bononia verò jam inde ab Atavis oriundus = MON. VII. *lit.* h. XIII. *lit.* c. XV. *lit.* d. CLI. *lit.* c. (3) MON. VII. *lit.* b. CXXXVII. *lit.* c. *ubi* Bonicoſſa Amaſæi Pater vir Patricius *appellatur.* CLI. *lit.* d. e. (4) MON. VII. *lit.* b. XIII. *lit.* c. XV. *lit.* c. CXXXVII. *lit.* c. (5) *In* MON. II. *Alidoſius* Familiam Amaſæam *ſic appellatam putat, quòd ab* Amaſæo *quodam* Aſinelli *originem duxerit; contrarium autem evincitur ex* MON. VII. *lit.* f. CXXXVII. *lit.* c. (6) MON. VII. *lit.* c. d. e. XV. *lit.* d. C. *lit.* a. CXXXVII. *lit.* c. CLI. *lit.* f. *Hæc Monumenta ſi conſulas, de profectionis cauſa conveniunt omnia. Quod verò tempus attinet ejuſdem profectionis, & moræ, quam Amaſæorum Familia Utini traxit, ſi* MON. C. *cum* MON. VII. *&* XV. *conferas, diſcrimen inter ea non parvum apparebit. Fides tamen Gregorio potiùs Romuli Patri, quàm Pompilio Gregorii Nepoti habenda videtur, propterea quia Orationem, quam in Senatu Gregorius habuit,* perpetuis antiquarum tabularum indiciis demonſtravit, *prout in* MON. XV. *expreſſis verbis innuitur. Relato igitur moræ tempore* per annos videlicet ducentos vigintiquinque *ad annum* 1533., *in quo civitatis Bononienſis partitum, atque decretum expedita ſunt, patet profectionis tempus in anno milleſimo tercenteſimo octavo conſtituendum.*

familias pariter numeratur, (7) docti in primis, & probi Viri perpetua, ac nitida ſucceſſione prodierunt. (8) In his Dominicus Maſi Pronepos, & Romuli Atavus, cujus tanta fuit apud Utinenſes gratia, & auctoritas, ut rei publicæ formam ad æquiorem, tranquillioremque ſtatum redegerit; tanta verò valetudinis bonitas, ut integras tum animi, tum corporis vires ad extremam uſque ſenectutem ſervaverit. (9) Annum agens nonageſimum quintum e vita deceſſit, (10) geminoſque poſt ſe reliquit liberos, Joannem, & Marcum (11) paternæ virtutis participes, & hæredes; quorum alter legum doctrina, (12) alter rerum gerendarum prudentia præcelluit. (13) Ex Joanne Gregorius Romuli Pater, ejuſque Fratres Leonardus natu major, & Hieronymus. (14) Leonardi in obeundis Magiſtratibus, negotiiſque Patriæ adminiſtrandis ſumma extitit diligentia, ut qui undecim filiorum ſobole premebatur, rei quidem familiaris curam ſæpe dimitteret, publicæ numquam negligeret. Magnam eloquentiæ vim, ad quam ſine ullo ſtudio, ac labore ab ipſa inſtructus erat, comparatuſque natura, cum admirabili conſilii ſagacitate, & conſtantia conjungebat. (15) Vitam ejus Gregorius deſcripſit, (16) obitum nongentiſ ipſis heroicis verſibus Romulus celebravit. (17) Sed Leonardi fratres Hieronymus, & Gregorius duo Gentis Amaſææ longè majora lumina, multòque clariora. Præſtanti uterque ingenio, & vi memoriæ præditus propemodum ſingulari, omnique eruditionis, & doctrinæ genere ex-

(7) MONUM. VII. *lit.* a. g. XV. *lit.* a. C. *lit.* o. (8) MON. VII. *lit.* f. C. *lit.* m. (9) MON. Cl. *num.* 1. (10) MON. Cl. 1. (11) MON. Cl. 1. (12) MON. Cl. 2. (13) MON. Cl. 3. (14) MON. Cl. 3. (15) *Quæ de Leonardo diximus, a Liruto decerpta ſunt omnia in ejus Opere, cui titulus* = Notizie delle Vite, ed Opere ſcritte da' Letterati del Friuli. Venezia 1762. = *Tom. II. a pag.* 333. *ad* 336., *illudque etiam notatu dignum videtur, quod Leonardus uxorem duxit tum paterna, tum materna origine nobilem, unde Amaſææ familiæ nobilitas, de qua in ſuperiore nota ſub num.* 7., *confirmatur.* (16) MON. LXXXXVII. *Titulus ejus Vitæ ſequens eſt* = della Vita, e de' coſtumi di Leonardo Amaſeo, e della ſua progenie notado per mi Gregorio Amaſeo ſuo Fratello = (17) *Inter* OPERA INEDITA *Romuli vide num.* 20.

excultus; (18) M. Antonii Sabellici, qui humaniores litteras Utini profitebatur, uterque auditor; dignus uterque tanti Magistri laudibus. (19) Laurea, & oleagina corona utriusque tempora Fridericus Tertius præcinxit, (20) Doctorem utrumque Patavina Academia renunciavit, Artium quidem & Legum Gregorium, Philosophiæ verò & Medicinæ Hieronymum. (21) Præ philosophicis, ac medicis studiis, quorum nullum extat, quod noverim, monumentum, Græcas latinasque litteras Hieronymus adamavit, & post Sabellicum in Patria tradidit, Gregorii fratris in eo munere primùm auditor, postea per decennium successor. Vaticinium de universo Christianæ religionis imperio latinis cecinit versibus, præloque emissum Accursio Mainerio inscripsit, Jureconsulto clarissimo, & Ludovici Gallorum Regis apud Venetos Oratori. (22) Præter latinas epistolas mira eruditione refertas, partim ad Gregorium, partim ad Romulum datas (23) latina item varii metri Poemata condidit, quæ in codice Bibliothecæ Ambrosianæ servantur, manu discipuli cujusdam sui descripta, propria hàc illac emendata. (24) Atque ea, ut opinor, sunt Opera, quæ moriens Romuli fidei, ac diligentiæ corrigenda, & evulganda reliquerat, (25) & hoc etiam fortasse nomine suos illi græcos libros legaverat, (26) ut quanto sibi ingenium, & doctrina ejus in pretio essent, quantaque illum benevolentia com-

(18) *Ex Liruto in Vita utriusque a pag. 337. ad 349.; a quo partier præclarum de geminis Fratribus testimonium affertur ex manuscriptis rerum Utinensium Annalibus a Jacobo Valvasono exaratis ibi* = Girolamo, e Gregorio Fratelli Amasei degni di molta laude per essere stati eccellenti quasi in tutte le Scienze. = (19) TEST. 19. (20) MON. C. *lit.* n., *in quo tempus collati honoris ad annum* 1489. *refertur, non ad* 1486., *ut Liruto existimat.* MON. CIII. *idem tempus indicat, eumdemque locum coronationis; quin & ipsa adnectit carmina, quæ tum ab Amasæis Fratribus recitata sunt, non sine laude a M. Antonio Sabellico memorata in* TEST. *prædicto num.* 19. (21) *Ex Liruto in Vita utriusque, ut supra.* MON. CI. *num.* 45. (22) *Ex Liruto in Vita Hieronymi a pag.* 347. *ad* 349. (23) *Inter* OPERA INEDITA *Romuli Vide sub num.* 18 *Indiculum epistolarum ab Amasæis scriptarum, &* MON. CVI. & CXXIII. (24) MON. CII. (25) *Ex Tiberio Deciano in ejus Opere, cui titulus* = Responsorum Utini 1592. *Vol.* IV. *Resp.* IX. *pag.* 58., *& seq.* (26) *Ex eodem Tiberio in eodem Resp.*

complecteretur, simul ostenderet. Inter alias, quæ ad Amasæos pertinent, & in eadem Bibliotheca unà collectæ reperiuntur, epigraphe legitur Hieronymo a filio, qui Cælius appellabatur, inscripta, (27) Viro Legum peritissimo, quarum explicatione, atque doctrina primùm Bononiense, (28) dein a Romano accitus Pontifice Avenionense Gymnasium illustravit, (29) eoque in loco annos natus quadraginta novem, qua scilicet ætate ipsa Pater decesserat, (30) diem obiit supremum. (31) At Gregorius Romuli genitor Hieronymo fratre multo felicior, & clarior, tum propter diuturnitatem vitæ, quam ad annos septuaginta septem produxit, (32) tum propter studiorum varietatem, & munerum, quibus egregiè perfunctus est, multitudinem, ac dignitatem. (33) Nam & complures Veneti Imperii regiones peragrando Judicis officium summa ubique cum integritate, ac diligentia administravit, & magnum in latina Eloquentia, & amænioribus Litteris nomen obtinuit, (34) quas semel, atque iterum in Patria sua, & Venetiis quoque post Georgium Vallam professus, (35) a Senatu Veneto dignus est habitus, cujus effigies in Aula Consilii Magni inter M. Antonii Sabellici, & Georgii Merulæ imagines locaretur. (36) Bononiensis autem Senatus suis in Tabulis hominem hunc excellentem Artium, & J. U. Doctorem appellat, & præ-

(27) MONUM. CI. *num.* 4. (28) MON. IV. XV. *lit.* i. CI. *num.* 7. (29) MON. LXXXXV. CI. *num.* 7. (30) MON. CI. *num.* 4. (31) MON. CI. *num.* 7. *Cælii, seu Joannis Cælii (qui Hieronymi filius naturalis fuit, ut ex allegato Respons.* IX. *Tiberii Deciani colligitur) Vitam descripsit Lirutus in præcitato ejus Opere pag.* 384. *&* 385., *illiusque præterea mentionem faciunt* MON. VII. CXXXIV. CXXXXVIII. CXXXXVIIII: CLIIII (32) MON. CI. *num.* 5. (33) MON. C. *lit.* o. CI. *num.* 5. (34) *Præter Monumenta superiùs indicata vide* TEST. 2. *lit.* a. *& Lirutum in Vita Gregorii a pag.* 337. *ad* 347. (35) *Vide Lirutum, ut supra.* (36) *Ex testimonio Francisci Sansovini* = Nella sua descrizione di Venezia 1581. a car. 130. ivi = Nei quali tutti quadri (*che furono dall' incendio seguito nel* 1577. *arsi sfortunatamente*) erano diversi Ritratti di Senatori, ed Uomini illustri dipinti di tempo in tempo da diversi eccellenti Maestri; poichè cominciandosi da quest' ultimo, e andando fino all' altro capo del Salone presso allo scruttinio si vedeva l' effigie di M. Antonio Sabellico, di Gregorio Amaseo, di Giorgio Merula.

Digitized by Google

præclara doctrinæ, & virtutum fama commendat. (37) Concors Scriptorum omnium prædicatio: (38) in primis Leandri Alberti Bononienſis, qui Gregorii ætate vixit, fuitque illi propter mutuam animorum, ſtudiorumque neceſſitudinem conjunctiſſimus. (39) Quo loco elegantem quoque librum ab eo conſcriptum, & ad ſe miſſum Leander commemorat, in quo multa ad varias Italiæ partes, regionemque præſertim Forojulienſem ſpectantia continebantur, quæ magno ſibi ad illuſtrandam, perficiendamque Italiæ deſcriptionem adiumento fuiſſe candidè profitetur. (40) Is fortè liber, aut certè exemplum ejus, inter mſs. codices Bibliothecæ S. Germani aſſervatur, & *Gregorii Amaſæi deſcriptio geographica Italiæ, & Provinciæ Forojulienſis ad Leandrum Bononienſem* inſcribitur. (41) Eo in libro Gregorius de Joannis Candidi fide paulo acerbiùs conqueritur, cui cum in texenda regionis Aquilejenſis hiſtoria operam, ſi Leandrum audimus, non exiguam præſtitiſſet, Commentarios Candidus proprio dumtaxat nomine ediderit, & quem conſortem laboris, ſociumque habuerat, laudis, & gloriæ participem per ſummam iniuriam non tulerit, neque ſit præterea veritus narrationes quaſdam, quæ in Amaſææ familiæ ſplendorem, & ornamentum redibant, ab iiſdem Commentariis expungere. (42) Atqui nullum eſt teſtimonii genus tam amplum, tamque præclarum, quod cum Romuli laudatione conferri poſſit, quam ſi legas, aliorum judicia non multum requiras. (43) Atque utinam quos ille vigiliarum, & laborum ſuorum fructus reliquerat, maturè Romulus, ac ſedulò collegiſſet, neque ſpem illam, quam eorumdem publicam in lucem aliquando proferendorum commoverat, aliis fortaſſe curis irretitus atque diſtentus, fruſtratus eſſet: (44) ſcilicet longè plura, quàm quæ Typis vulgata ſunt, (45) Gregorii

(37) MONUM. VII. *lit.* a., XIII. *lit.* a., XV. *lit.* e. TEST. 2. *lit.* a. (38) *Vide Lirutum, ut ſupra.* (39) TEST. 2. *lit.* a. (40) TEST. 3. *lit.* b. & g. (41) TEST. 13. (42) TEST. 2. *lit.* c. d. e. (43) *Vide quæ paulo infra in Vita Romuli ex Oratione decima quarta, qua Gregorii Patris obitum deplorat, a nobis deſcripta ſunt ibi* = Patrem primùm = *uſque ad* = teſtata eſt. (44) *Vide eumdem locum, in quo hæc verba notatu digna* = quod ejus aliquando vigiliæ planum facient = (45) *Vide Lirutum, ut ſupra.*

gorii ſcripta circumferrentur; quorum pars magna vel eſt omnino deperdita, vel in Bibliothecarum pluteis deliteſcit, non ſine magno litterariæ Reipublicæ detrimento. (46) Videbor fortè de Romulo ſcribens paulò, quàm oportuit, fuſiùs Progenitorum ejus, Patris præſertim, merita perſecutus. Rem tamen haud ſanè incongruam, neque prorſus inutilem judicavi, nempe ut omnes intelligant jam a tenera ætate, primoque ſtudiorum aditu percommoda illi, maximèque expetenda vel ad formandos mores, vel ad Litteras addiſcendas tum ab illuſtribus Majorum exemplis, tum ab optimi doctiſſimique Parentis inſtitutione præſidia non defuiſſe. Sed jam de ipſo dicendum eſt Romulo. Anno ab ortu Chriſti milleſimo quadringenteſimo octogeſimo nono Utini natus eſt: nec annum ſolum, ſed menſem quoque, diem, & horam natalis ipſam Lucas Guaricus indicavit, idemque genethliacam Romuli figuram poſuit, habitum corporis, & formam deſcripſit, ſtudia, & officia ſummatim attigit. (47) Patrem, ut ſæpe jam diximus, habuit Gregorium. De Matre, ſi qualis obtigerit, ſcire lubet, Lirutus commemorat, diligens Utinenſium Litteratorum Hiſtoricus, qui natalium labem, quam fortè offendit Romulus, maluit narrando reminiſci; quàm

---

(46) *Vide Lirutum, ut ſupra, qui inedita Opera Gregorii memorat. Nos, præter epiſtolas, quas partim latinas, partim italicas numero treſdecim ex Ambroſ. Bibl. nunc primùm inter Monumenta proferimus, alias ex Indiculo recenſemus poſtto ſub num.* 18. *inter* OP. INED. *Romuli.* (47) TEST. *num.* 11. *Hoc loco, ut Eruditorum ſtudio, ac voluptati ſervtamus, qui nullum in expiſcandis, colligendiſque rerum notionibus modum habent, & exiliſſimas quaſque conditiones, minimaſque differentias non negligunt, cum Liruto adnotabimus, inter Guaricum, & Scriptorem Vitæ Romuli anonimum de natalis hora non convenire. Ab Anonimo ſiquidem deſignatur decimaſeptima cum min.* 6., *non decimaquinta cum min.* 44., *ut Guarico placuit. Et quoniam nunc primùm de ea Vita mentionem fecimus, Lectorem hortor, ut epiſtolas adeat a clar. Viro Balthaſſare Oltrochio ad me ſcriptas, & inter* MON. *poſitas ſub numeris* LXXXXVII. LXXXXVIII. LXXXXVIIII., *quæ nonnulla continent ſettu utilia, & cupidis rerum Indagatoribus non injucunda.*

Digitized by Google

quàm dissimulando fidei historiæ, ac veritati deesse. (48) Omnem certè maculam, etiamsi alienam, non propriam, suis ille usque adeo absterſit virtutibus, maximisque delevit honoribus, dubitari ut facilè queat, num ipsius existimationi indecora, an glorioſa potiùs ea fuerit commemoratio. (49) Prope ab ipso nutricis gremio Patavium, ubi tum Gregorius versabatur, deductus: cujus deinde itinera, & fortunas secutus, Venetias puer admodum cum illo, & Bergomensem postea provinciam adiit, unde in Patriam denique remissus est, ut quibus in studiis institui jam, & erudiri a Patre cœperat, disciplina deinceps, & opera Hieronymi patrui sui commodiùs uteretur. (50) Res autem accidit

(48) *Romulum ex Gregorio, & Monacha nescio qua ortum ex illius Vita ab Anonymo scripta Liruti refert. Id pariter ex præcitato Opere Tiberii Deciani colligitur, qui Romuli jura contra Dorotheam Hieronymi Amasæi filiam legitimam, & naturalem in Respons.* IX. *tuetur. Quæstio, de qua Responsum differit, est ejusmodi* = Spurius ex Monacha legitimatus, vel ejus filii legitimi quando possint succedere = *Ex eo Responso liquet, Romulum instante Patre ab Achille de Grassis, juxta potestatem a Summo Pontifice, & ab Imperatore Familiæ de Grassis impertitam, fuisse legitimatum; de qua legitimatione idem Gregorius loquitur* MONUM. CXXVIII. *suasque facultates ad Pompilium, aliosque Romuli filios, tamquam heredes, aliquando venturas non dubitat, ut ex* MON. CXXXIV. *Romuli quoque ortum ex Monacha innuere videntur quidam phaleuci versus, quos occasione illa Hieronymus cecinit, prout ex* MON. CIIII. *Denique Mitris nomen,* Mariantillæ *scilicet, indicatur in* MON. CXVI. *lit.* e. & CXVII. *lit.* g. *si modo id nomen ad veram Romuli Matrem, non ad Novercam potiùs referri debeat. Scimus enim ex eodem Deciani Responso Gregorium uxorem sterilem habuisse, & ipsæ etiam Novercæ a Privignis blandiore Matrum nomine appellari plerumque solent; quamquam id quidem, quod Privignis ex alia Matre legitimè genitis in more positum est, nescio an similiter Spuriis convenire possit.* (49) *Id ipsum sæpe Decianus in memorato Responso animadvertit, ut Judicis benevolentiam, & gratiam clienti conciliet suo.* (50) *Ex Liruto in Vita Romuli pag.* 350. *Vide etiam quid de studiis, & Præceptoribus suis Romulus inter ejus* OP. EDIT. *sub num.* 5. *narret in Oratione decimaseptima pro se ipso Romæ habita tbi* = Patavii, & Venetiis sub Gregorii Patris, ac Hieronymi Patrui mei optimorum, & eruditissimorum hominum disciplina educatus = *Vide præterea* MON. CVI. & CXXIII. *lit.* e. *Ex* MON. *pariter* CV. *apparent Gregorii monita, licet absentis, ut Romulus se se in Oratione de laudibus Fortiulii contexenda exerceat, ibiq. heroica quædam leguntur Romuli carmina.*

per ea tempora, in qua Romuli pietas mirum in modum enituit. Judex tum in Amonia valle, quæ ad Venetam Rempublicam pertinet, Gregorius assidebat, cum medios inter bellorum æstus ab Hispanis militibus fortè deprehenditur, captivusque Faventinum in agrum ablegatur. Illuc re cognita Romulus convolat, Parentemque ab hostium manibus, non sinè magna difficultate liberatum, pretioque non parvo redemptum, in Patriam reducit. (51) Haud multo post Patavium se contulit, ibique tamdiù permansit, quamdiù securitatis, & pacis otia manserunt. Ipsam verò moræ brevitatem, quæ paucorum mensium fuit, ita scholarum frequentia, & laborum assiduitate sarcivit, ut non modò Græcarum, Latinarumque literarum usum perfecerit, sed Hebraicæ quoque linguæ cognitionem comparaverit; & ne qua particula temporis a studio, & exercitatione vacaret, alterna nunc Auditoris, nunc Magistri munera singulari prorsus contentione, & industria obierit. (52) Sed bellica tempestate magis in dies magisque sæviente, & Italiam prope universam, Venetumque præsertim dominium latè vastante, Patavio discessit, (53)

---

(51) *Ex Liruto in Vita Romuli, ut supra, pag.* 351. *Ad hunc Gregorii casum* MONUM. CXIV, *&* CXV. *probabiliter referenda.* (52) *Ex Liruto, ut supra, eadem pag.* 351. *itemque pag.* 361. *ubi testimonium Miræi referens in Elogiis illustrium Belgii Scriptorum ostendit cognitionem Orientalium quoque linguarum Patavii a Romulo comparatam sequentibus ejusdem Miræi verbis =* Joannes Goropius Becanus. . . . exactam Hebraicæ, Græcæ, Latinæ, aliarumque linguarum scientiam, Romulo Amasæo homine Italo præeunte, consecutus est. *Duo verò sunt, in quibus erraße Lirutum, aut anonymum Romuli vitæ Scriptorem certis documentis evincitur. Alterum est, ubi scribit Romulum de adeunda Urbe, priusquam Patavium concederet, cogitaße, ut ibi se alicujus Præsulis servitio adiceret. Non cogitavit solum, sed re ipsa Romam adiit, quemadmodum patet ex* MON. CVIIIlit. a, *&* b. *Alterum est, quòd Patavii in Cœnobio Fratrum Eremitarum S. Augustini, tamquam hospes, exceptus fuerit propter commendationem de eo factam a celebri Magistro Ægidio, qui postea Cardinalis fuit, cum ad illos potiùs in humanioribus literis erudiendos ab eodem Ægidio missus fuerit, & præceptoris munus obierit, prout apertè demonstrant* MON. CVII. CVIII. CVIIII. CX. CXI.

Digitized by Google

(53) ſeque ſub exitu anni milleſimi quingenteſimi noni Bononiam recepit, tutiorem videlicet, pacatioremque Muſarum ſedem, (54) liberali hoſpitio apud Campeggios exceptus, Gentem tum vetuſta nobilitate, tum armorum, & literarum laude celebratiſſimam. (55) Hic enimvero mirum, & penè incredibile videri queat, quantam illico ſuis ipſe laboribus, perpetuiſque vigiliis diligentiæ, & doctrinæ opinionem commoverit, quantamque ſibi, propter ingenii præſtantiam, morumque probitatem, ab eruditis, nobilibuſque Civibus benevolentiam, & gratiam conciliaverit. Expectationem certè, quam ab adventu ipſo excitaverat, non fefellit, ſtudiiſque adoleſcentum, quorum adoleſcens ipſe in humanioribus literis inſtitutionem inierat, egregiè ſatisfecit. (56) Quapropter ab exercitationibus ſcholiſque privatis ad publicum docendi munus brevi traductus, & in media Bononienſis Academiæ, atque adeo totius Civitatis luce, conſtitutus. Id ſanè contigit anno milleſimo quingenteſimo decimo tertio, quemadmodum ex actis publicis, ejuſdemque Romuli epiſtola ad Joannem Antonium Flaminium non obſcurè colligi-

---

(53) *Ex Liruto, ut ſupra, pag. ipſa* 351., *& ſub num.* 5. *ex Oratione decimaſeptima Romuli ibi* = Bellorum deinde, quibus tunc univerſa ardebat Italia, procella veluti quædam Bononiam me tunc primùm pubeſcentem ejecit. (54) *Vide inter* OP. ED. *Romuli num.* 9. *ibique Epiſtolam Romuli undecimam ad Joannem Antonium Flaminium. Vide præterea* MONUM. CXII., *in quo ſtatim a primo Bononiam adventu Romulus in ampliſſimas hujuſce Civitatis laudes effunditur.* (55) *Ex Liruto ut ſupra pag.* 352. *itemque ex* MON. CXIII. (56) *Inter* OP. ED. *Romuli vide ſub num.* 9. *decimam octavam Romuli Epiſtolam ad Joannem Antonium Flaminium ibi* = Habemus equidem ſtudia bonorum conciliata, propenſos in nos multorum animos =

Digitized by Google

gitur. (57) Tum verò primum ex illo prodiit ingenii, & eloquentiæ ſpecimen in Oratione pro conventu ſcholaſtico habita ad Georgium Sivromannum Bononienſis gymnaſiarchatus inſignia ſuſcipientem. (58) Circa id tempus graviter ægrotaſſe Romulum, nec multò ante uxorem duxiſſe, ex alia ipſius epiſtola ad eumdem Flaminium data compertum eſt. (59) Fuit ea Uxor ex antiquiſſima, eademque clariſſima Guaſtavillanorum Familia Violanthæ, ſeu Violantillæ nomine cognita, quæ ad vetera Amaſæ Gentis ornamenta novum tum propria, tum affinium, & propinquorum nobilitate ſplendorem adjunxit. (60) Hanc duxit admo-

---

(57) *Vide eamdem Epiſtol. ſub num. 9., & præterea* MONUM. VII. *lit.* m. VIII. LXXXV. LXXXVI. CXVII. *lit.* d. CXVIIII. CXX. CXXII. *Hæc invicem Monumenta ſi conferas, fortè de tempore, quo Lecturam Romulus iniit, dubitabis. Sed omnia plana fient, ſi hunc in judicando ordinem teneas. Romulus ſcilicet Lecturam petiit, & obtinuit anno* 1512.; *ſequenti anno* 1713. *inter humaniorum literarum Profeſſores relatus eſt; & anno denique* 1514. *ſumma illi ſtipendii annui conſtituta. Ex his Comitis Mazzuchelli error apparet qui in Opere, cui titulus* = Gli Scrittori d'Italia = *Vol.* 1. *Part.* 1. Breſcia 1753. = *& ſignanter in octava Nota ad Vitam Romuli appoſita pag.* 580. *ita ſcribit* = Dottori Bolognesi di Teologia, e di Arti Liberali a cart. 167., ove ſta ſegnato così = Romolo di Gregorio Dottore di Amaſei 1512. era Lettore di Rettorica, e di Poesia, di Lettere Greche, di Umanità 1543. = Potrebbe veramente (*inquit Mazzuchellius*) taluno credere avere inteſo l' Alidoſi di dire, che Romolo foſſe Lettore in Bologna dal 1512. fino al 1543., ma queſto ſarebbe un manifeſto errore, perchè fu prima Profeſſore in Padova dal 1519. fino al 1524., donde paſsò poscia Profeſſore pubblico a Bologna. *Errat enimvero, non Alidoſius, ſed Mazzuchellius.* (58) *Inter* OP. ED. *Romuli Vide num.* 1., *&* MON. CXXI. (59) *Inter prædicta* OP. *Vide ſub num.* 9. *epiſtolam Romuli decimam nonam ad Joannem Antonium Flaminium, &* MON. CXVII. *lit.* c. *&* MON. CXVIIII. (60) *Inter* OP. ED. *Romuli vide ſub num.* 5. *Orationem decimamſeptimam pro ſe ipſo Romæ habitam ibi* = In ea Civitate Æmiliæ, ac Flaminiæ principe multo amplissima, & florentiſſima peradoleſcens e patricia, & antiqua Guaſtavillanorum familia uxorem duxi, per quam mihi prænobiles affinium, & propinquorum ſunt conciliatæ neceſſitudines = *Vide præterea* MON. III. VII. *lit.* l. XIII. *lit.* c. C. *lit.* b. CXVI. *lit.* a. CXVII. *lit.* a. b. c. CXVIII. CXXIII. *lit.* c. f.

Digitized by Google

modum adoleſcens, (61) probam oppidò, ac pudicam, reique familiaris naviter, & bene gerendæ apprimè ſcientem, (62) liberoſque ex illa ſuſcepit, nec paucos, nec invenuſtos, ferè omnes Bononiæ natos. (63) Doctrina ceteris, & dignitate Pompilius (64) præſtitit natu major, (65) de quo alibi fuſiùs. Fœminarum aliæ nobilibus, ſpectatiſque Viris matrimonio junctæ, (66) aliæ in ſacrarum Virginum Collegia receptæ, Deoque dicatæ. (67) Tali coniuge lætus nihil jam Romulus vel antiquius, vel optabilius habebat, quàm ut creditam ſibi juven-

(61) *Ita ipſemet Romulus in præcitato loco Orationis decimæſeptimæ* = Peradoleſcens = *Annum agebat vigeſimum tertium; nupſit enim anno* 1512., *prout ex* MONUM. C. *lit.* b. Cl. *num.* 6., & CXVI. CXVII. CXVIII. CLVI. *lit.* l. (62) *Vide* TESTIM. 8. *ex Marco Antonio Flaminio ad Adamum Fumanum* MON. Cl. *num.* 6. CXVI. *lit.* b. c. CXVII. *lit.* f. CXXIII. *lit.* b. CLIV. CLVI. *lit.* l. (63) *Vide inter* OP. ED. *Romuli ſub. num.* 5. *Orationem decimamſeptimam ibi* = quæque me liberùm minime pœnitenda ſobole auxit = *præcitatum* TEST. 8., *ut ſupra; denique* MON. VII. *lit.* l. XIII. *lit.* e. C. *lit.* b. k. l. Cl. *num.* 6. *Sex Maſculorum, & quinque Fœminarum reperto nomina in* MON. V. VI. VII. *lit.* a. XV. *lit.* k. LXXXX. LXXXXI. LXXXXVI. Cl. *num.* 9. 10. CXXII. CXXXXVI. CLIII. CLVI. *lit.* h. CLX. *Ex his ergo Monumentis Maſculorum nomina ſunt, quæ ſequuntur, videlicet: Pompilius, Theophraſtus, Virginius Xenophon, Hoſtilius, & Martinus; Fœminarum vero Eleonora, Helena, Eugenia, Lucia, & Martia. Nomen ejus, qui duodecim filiorum compleat numerum in* MON. C., & Cl. *expreſſum, non innoteſcit, nec illud etiam compertum eſt, maſne fuerit, an fœmina.* (64) *Quoniam hæc primum de Pompilio mentio incidit, hoc nempe loco omnia, quæ ad ipſum quomodolibet pertinent, documenta indicabo, nonnulla eorum ſuis quæque deinceps locis, prout occaſio tulerit, denuo indicaturus. Vide ergo primùm inter* OP. ED. *Romuli num.* 3. 4. 18. *in Indiculo, & 19. pleriſque in locis. Vide etiam eiuſdem Pompilii tum* OP. ED., *tum* INED. *ad calcem hujuſce Operis memorata. Dein* TEST. 2. *lit.* m. 3. 8. *Marci Antonii Flaminii ad Romulum Amaſæum.* 16. 18. 22. *denique vide* MON. VII. *lit.* a. XV. *lit.* k. XXXVIII. XXXXV. XXXXVI. XXXXVII. XXXXVIII. LXXXX. LXXXXI. LXXXXVII. LXXXXVIIII. C. *lit.* q. Cl. *num.* 8. CXXII. CXXXIV. CXXXXII. CXXXXVIII. CLX. (65) MON. CXXII. (66) *Vide inter* OP. ED. *Romuli ſub num.* 5. *Orationem decimamſeptimam ibi* = e quibus Filiæ partim cum Viris, neque novis, neque ordinariis Matrimonii cauſa ſunt = & MON. VI. & C. *lit.* l. (67) *Vide in Orat. prædicta ibi* = partim verò in ſacroſanctum Virginum cooptatæ Collegium = & MON. V. & C. *lit.* l.

tutem tum noſtratem, tum exteram bonis Artibus educaret, totuſque in legendis, atque interpretandis Græcis, Latiniſque Scriptoribus verſabatur. (68) Stipendia interim ſemel, atque iterum nonnihil aucta. (69) Sed præmium laborum longè ditiſſimum, merceſque pulcherrima, celebritas nominis, ita in dies percrebuit, ut ad illuſtriores etiam Academias, potentioreſque Civitates pervenerit. (70) Venetæ in primis Reipublicæ Moderatores hominis fama permoti, quem, utpotè Utini natum, inter ejuſdem Reipublicæ ſubditos reputabant, ipſum ad Græcas literas in Patavino Gymnaſio explicandas ampliſſimo, honeſtiſſimoque decreto evocarunt. (71) Profectionis hujus periculum Bononienſis Senatus fortè præſenſerat, idque ut averteret, ſex Senatoribus negotium dederat Romuli, quibuſcumque poſſent conditionibus, retinendi. (72) Conſilia tamen omnia, & officia incaſſum adhibita. Quam Venetorum Patrum gratia, & auctoritas ad novum dignitatis, & gloriæ curſum ultro aperuerat viam, denique ſecutus eſt Romulus, (73) Patavium conceſſit, ibique per quadriennium totum, ex anno ſcilicet 1520. in 1524. commoratus primarios inter Doctores locum tenuit non vulgarem. (74) Quin & ipſos Academiæ parietes ita nobilitavit, ut cum ſequentibus deinceps temporibus inter illuſtres Profeſ-

(68) *Vide Orat. prædictam ibi* = In hac ego Civitate cum tantum jam eſſem perpetuis laboribus, ac vigiliis conſecutus, ut quanti fierem cum a Civibus, tum ab Exteris, qui illuc diſcendi cauſa convenerant, me nihil omnino pœniteret = *Vide etiam Epiſtolam decimamnonam ad Joannem Antonium Flamnium inter* OP. ED. *Romuli ſub num. 9.*, & MONUM. CXXIV. (69) MON. IX. LXXXV. (70) *Vide, quæ in ſuperiore Nota 63. indicata ſunt*, & TEST. 15. 18., & MON. CXXIV. (71) *Vide Orat. Romuli decimamſeptimam ibi* = a Senatu Veneto per graviſſimum, & ornatiſſimum S. C. ſum Patavium evocatus = & MON. CXXV. CXXVI. (72) MON. X. & LXXXV., *ex quo etiam ſtipendii augmentum apparet ſub anno* 1520. (73) *Digna omnino ſunt, quæ attentè conſiderentur*, MON. CXXVI. CXXVII. CXXVIIII. CXXX., *ex quibus quantùm anxius, & anceps animi fuerit Romulus in ſua a Bononienſi ad Patavinum Gymnaſium profectione apertè cognoſcitur.* (74) *Moræ tempus in Patavino Gymnaſio ſatis liquet tum ex* TEST. 3. *tum ex* MON. LXXXV. LXXXVI. CXXXV. CXXXVI. CXXXVII. CXXXVIII. *quidquid ea de re Papadopolus, Riccobonus, & Niceronius aliter ſenſerint.*

ſeſſores Sigonium, & Robortellum de Scholæ ſortitione oborta. lis eſſet, auditorium Sigonius elegerit, in quo Romulus Amaſæus olim docuerat, ſicque de primatu loci ex Doctoris nomine judicans, ſimul gymnaſii tranquillitati, & propriæ exiſtimationi proſpexerit, omnemque controverſiam pari cum æmulo dignitate diremerit. (75) Præter aſſiduas ſcholarum exercitationes Xenophontis de Cyri minoris expeditione latinam ex græco verſionem vel tum primùm aggreſſus eſt Romulus, vel certè confecit, (76) idemque Orationem de Concordia contexuit, Summo Pontifici Adriano VI., ut apparet, inſcriptam, apud quem ſuam multis ſanè verbis voluntatem, & (ut ipſe vocat) audaciam excuſat, eumque ad conciliandam inter Chriſtianos Principes pacem, initoque cum iis fœdere ad arma contra Turcarum Imperatorem ferenda hortatur, & rogat. (77) Quadriennio vixdum elapſo, cum ingens jam ad Amaſæi doctrinam, & famam facta eſſet acceſſio, a Clemente VII. Pont. Max., non diſcipulis modò moleſtè ferentibus, ſed Veneto quoque Senatu haud libenter aſſentiente, Bononiam revocatus eſt: (78) quò etiam antea, animi fortaſſe cauſa, interdum excurrerat. (79) Sic de reditus tempore nobis cum eruditiſſimo Mazzuchellio omnino convenit, ipſiuſque animadverſiones in Papadopolum, & Niceronium æquiſſimas arbitramur. (80) At-

(75) TESTIM. 17. (76) *Vide inter* OP. ED. *Romuli Xenophontis verſionem ſub num.* 2., *& quo tempore confecta fuerit, apparebit.* (77) *Inter Opera prædicta vide ſub num.* 5. *Orat. primam* = de Concordia = & MON. CXXXII. CXXXIII. (78) *Vide ſub num.* 5. *Orationem decimamſeptimam ibi* = In eo literatorum hominum conventu, qui tunc maximè & juvenum nobilium frequentia, & Doctorum præſtantia efflorescebat, cum jam celebrari nomen meum cœptum eſſet, a Clemente VII, Pont. Max., Venetis Patribus ejus poſtulationi non ſatis medius fidius libenter aſſentientibus, Bononiam primùm ſum revocatus = *Vide præterea* TEST. 3., & MON. XI. LXXXV. LXXXVI. CXXXV. CXXXVI. CXXXVIII. (79) *Inter* OP. ED. *Romuli vide ſub num.* 9. *Epiſtolam nonam ad Joannem Antonium Flaminium datam Bon. Kal. Aug.* 1522., *ex qua elicitur Romulum tunc temporis Bononiæ verſatum.* (80) Fu Profeſſore in Padova dal 1519. fino al 1524. *Ita Mazzuchellius in citato Opere pag.* 580., *& in ipſius adnotationibus, tum Papadopoli, tum Niceronii error deprehenditur, in quem Riccobonus pariter incidit in Patavinæ Lecturæ tempore conſtituendo.*

qui duo ſunt, in quibus non poſſumus quin ab eo magnopere diſſentiamus. Quod enim primum Mazzuchellio perſuaſum videtur, Romulum tum primùm, cum eſt Patavio regreſſus, publicos inter Bononienſis Gymnaſii Profeſſores deſcriptum, tam longè, ut ſupra demonſtratum eſt, a veritate diſtat, quàm quod maximè. (81) Illud verò alterum prorſus non ferendum, in quo Bononienſes nonnihil carpit, quaſi præſtantiam hominis in eo doctrinæ genere non ſatis antea cognoverint, cum plura ex adverſo iampridem extarent, eaque non vulgaria, obſervantiæ erga illum, & benevolentiæ propemodum ſingularis tum a Senatoribus, tum a Civibus penè omnibus argumenta. (82) Haud equidem inficiabor, quod Amaſæo Bononiam reverſo Scholarum longè frequentiorum, graviorumque elucubrationum initium fuit, idem ornamentorum etiam multò opulentiorum, nobiliorumque munerum initium fuiſſe. (83) Jam exterorum adoleſcentum cohors

(81) *Vide Notam poſitam ſub num.* 70., *ex qua ſatis liquet Mazzuchellium erraſſe, cum ait pag.* 581. = Ritornò adunque a Bologna, ove confezito gli venne un ſimile impiego in quella Univerſita. (82) *Si quæ hactenus tum in Vita Romuli, tum in Notis relata ſunt, nonnihil attendas, præſtantiam ipſius in humanioribus literis jampridem Bononienſibus cognitam, & in pretio habitam facilè intelliges, ſecus atque a Mazzuchellio ibidem (pag.* 581.) *ſcriptum eſt:* la quale meglio allora conobbe in tal genere di dottrina il valore di Lui. (83) *Id ſcilicet ex iis, quæ ſequuntur tum in Vita Romuli, tum in Notis, manifeſtum eſt, pariterque ex teſtimonio Petri Bembi ſub num.* 3. *ibi* = E queſt' anno paſſato laſciò partir di quì M. Romolo, il quale era più neceſſario, che Lettor, che ci foſſe, ed hallosi laſciato torre da' Bologneſi, che ſel conoſcono, ed hannolo ben caro, ancora che aveſſero tre altri Lettori nelle Umane Lettere = *Fatendum eſt tamen, Romulum ſub ipſo Bononiam reditu ſe non admodum ſortis ſuæ contentum præbuiſſe vel propter alienam nonnullorum Procerum voluntatem, vel propter Profeſſorum ſimultates, & odia, vel propter tenuiſſimum ſalarii conditionem (Vide* MONUM. XI. CXXXV. CXXXVI. CXXXVIII. CXXXVIIII. CXXXX.) *quin & animo uſque adeo ancipiti, & perturbato fuiſſe, ut Matthæi Giberti Datarii Patroni ſui conſilium primùm per literas expectaverit, deinde præſens Romæ pro deliberatione capienda etiam atque etiam requiſierit (Vid.* MON. CXXXVI. CXXXVIII. CXXXVIIII.) *quo audito officium iniit, magna Scholarium frequentia, maximo univerſæ Civitatis applauſu.* MON. CXXXVII. CXXXVIII. CXXXX.

hors non parva Patavio discedentem secuta, (84) & ingens continuò factus est ad illum audiendum Nostrorum concursus. (85) Nec multò post ab amplissimis Cardinalibus Gonzaga, (86) & Volseo (87) liberaliter invitatus, & Patavium denuo a Bembo, (88) Romam a Clemente VII. semel, atque iterum accersitus. (89) Sed maluit ille Bononiæ consistere, præmii videlicet amplitudini, & Urbis dignitati præsentem qualemcumque fortunam, & domicilii tranquillitatem anteferens. (90) Quid propterea mirum si tenuiores, & aliquantò etiam duriores, quas Joannes Baptista Egnatius paucis post annis proposuit conditiones, ut eum in Tilesii locum Venetias abduceret, sine ulla cunctatione respuerit, totumque se, ut solebat, in Bononiensium promerita, & laudes effuderit? (91) Fuerat enim jam tum merces illi multò amplior constituta; (92) ipse autem Romulus *non tam adiumentis iis vitæ honestius paulò & commodius agendæ, quæ magnis,* (ut ajebat) *contentionibus comparasset, & quotidianis, ac magnis laboribus tueretur,* (93) *quàm optimorum Civium voluntate, summorum hominum studiis, Pontificis Max., & Cæsaris gratia retentum*

(84) TESTIM. 3. *ex Petro Bembo ibi* = i quali (*Scolari*) allora tutti si parrirono con M. Romolo, dico gli Stranieri, ed ora sono a Bologna con Lui a gran biasimo di codesta Signoria, che non ha saputo ritenersi quì il primo Lettore Umanista nella Italia, massimamente essendo Egli di lei Uomo, e Suddito. MONUM. CXXXVIII. (85) MON. CXXXX. (86) MON. CXXXXI. CXXXXII. CXXXXIV. CXXXXV. CXXXXVI. (87) MON. CXXXXVI. (88) TEST. 3. *ex Petro Bembo. Ex* MON. *autem* CLII. *de Romulo Patavium denuo revocando cogitatum esse apparet circa annum* 1532. (89) *Ex Oratione ipsiusmet Romuli decimaseptima sub num.* 5. *ubi* = bis deinde Romam accersitus. *Vid.* MON. CXXXXIII. (90) *Ex Orat. prædicta ibi* = Armorum tunc impetu, & furore agebantur, & rapiebantur omnia. Non fuit igitur mihi Bononiensis ille portus, in quo magnis hominum studiis retinebar, relinquendus, neque in medios turbulentissimarum tempestatum fluctus irruendum. Domicilium itaque Bononiæ constituì. *Circa ea tempora aliæ Romulo conditiones propositæ sunt tum apud Bergomensem Episcopum Romæ, ut ex* MON. CXXXVI., *tum Florentiæ, ut ex* MON. CXXXXIIII. (91) *Inter* OP. ED. *Romuli vide sub num. 6. quæ ex Egnatii epistola, & responsione Romuli decerpta sunt.* (92) *Vid.* MON. XII. LXXXV. *anno* 1528. (93) MONUM. CXXXXVII.

tum ſe, & planè devinctum profitebatur. Quo verò nomine utriuſque Principis gratiam inierit, explicandum. Clementem inter, & Carolum diuturna exarſerant, & acerrima bella, quæ horret animus meminiſſe. Temporibus tandem meliora ferentibus, ad pacis fœdera conſtabilienda, & evulganda Bononia deligitur. Huc Pontifex primùm, deinde Cæſar profecti, frequentiſſimo Cardinalium, Epiſcoporum, Legatorum, & Principum ſive comitatu, ſive concurſu conveniunt. Miteſcunt animi, pacta feriuntur, ſimultates & odia concidunt, pax firmatur. Pro immortali, & maximo Dei beneficio publicam gratiarum actionem indicit Pontifex, celebritatis locum, diemque ſtatuit, & Amaſæo beneficii ipſius, quàm accommodatiſſima poſſit Oratione, prædicandi officium pariter, & honorem decernit. Hanc Orationem Romulus prima anni milleſimi quingenteſimi trigeſimi die, fauſtiſſima omnium, atque optatiſſima, *in palatina Urbis cella* recitavit *poſt apparatiſſimam ſupplicationem, magna ſummorum Sacerdotum, Principum, ac Legatorum frequentia, eodemque Pontifice unà cum Cæſare Divinis cærimoniis, hymnis, cantibus, precationibus præſidente*. (94) Hic enimvero cognitum eſt quid ingenium, quid eloquentia valeant. Nam etſi brevitas conſtituti temporis, & ad ſe comparandum adhibiti vix ullum emendationi, modicum diligentiæ ſpatium reliquerit, fuit tamen omnium, quicumque aderant, plauſus, & admiratio maxima; ad quam, ne Oratoris ornamento, & gloriæ quidquam deeſſet, ſuprema etiam acceſſit tum Pontificiæ, tum Cæſareæ munificentiæ, & commendationis auctoritas. (95) Ferè ad ipſum Pontificis, & Imperatoris adventum Romulus uno, & altero ſequenti die binis Orationibus, quas primam, & ſecundam ſcholam appellat, de latinæ linguæ uſu retinendo in Bononienſi Academia diſſeruerat, argumentum quodammodo nactus, & occaſionem ornandæ linguæ, & ad veterem dignitatem reſtituendæ

(94) *Inter* OP. ED. *Romuli vid. ſub num. 5. quæ circa Orationem ſecundam, & ſub num. 6. quæ de Epiſt. Egnatii, & ipſiuſmet Romuli afferuntur, & inter* INED. *Epiſtolam decimam ſub num. 19. ex qua patet ejuſdem Orationis de Pace decem dumtaxat exempla anno 1522. prælo excuſa prodiiſſe. Vide etiam* TESTIM. 12., & MONUM. LXXXXII. (95) MON. CXXXXVIII. CXXXXVIIII.

dæ ab initis inter eoſdem Principes conſiliis, ſtudiiſque adhibitis pro recuperanda priſca Romani Imperii magnitudine, & gloria. (96) Tanta verò egit contentione animi, tantiſque ingenii conatibus Hetruſcæ linguæ propugnatoribus, & laudatoribus reſtitit, ut pleriſque non tam Latinæ defenſor, & vindex, quàm Hetruſcæ contemptor, & hoſtis fuerit judicatus. Nec defuerunt tamen, qui rem totam ſic interpretarentur, quaſi non ea, quæ diceret, ex animi ſententia proferret, verùm ut cauſſæ, quam ſuſceperat, indulgendo, & omnes, quantæcumque eſſent, eloquentiæ vires exerendo, Oratoris officio ſatisfaceret, Artis dignitati conſuleret. At longè ſecus videbitur iis, qui Romuli inſtitutum, fineſque perſpexerint, liberè profitentis, ſe non magis in munus annuum proludendi, quàm veritatis tuendæ cauſa ad dicendum accedere, quique momenta rationum, & exemplorum auctoritatem attenderint, quibus & fortiter pugnat, & apertè demonſtrat Latinam Hetruſcæ linguæ (quam, per indignationem veluti, atque deſpectum, popularem vocat, & aulicam) multis ſanè nominibus præferendam. Ecquis tandem fuerit de illius opinione ambigendi locus, poſteaquam facta inter utramque linguam comparatione, & quæſtione propoſita, utram matris nomine *dignari deceat, latinamne*, inquit, *caſtam, ſeveram, & ſanctam: vultu, & aſpectu gravem: matronali habitu, atque ornatu decoram: paternis opibus, & dote locupletem: magna ſummorum hominum, quorum virtute eſt ejus omnis ditio amplificata, cinctam corona? An verò vernaculam hanc, quaſi ancillulam, toties barbarorum conſuetudine corruptam, ore fucum dumtaxat, & illecebras præ ſe ferentem, inopem, indotatam, plebejo, ac ſervili veriùs cultu eorum tantùm comitatu ſtipatam, qui, quod a Græcis de Penelopes Procis dictum eſt, cum Dominæ pudicitiam nequeant expugnare, ancillarum ſe oblectant amoribus?* Hac ergo verborum, hac ſententiarum libertate, & conſtantia qui differat, alterius linguæ merita amplificans, alterius minuens, hunc videlicet aliò ſpectaſſe, quàm propoſuerat, contra ſenſiſſe, quàm dixerat, cogitemus? Non ita profecto cenſuit Joannes Philoteus Achilli-

(96). *Inter* OP. ED. *Romuli vide ſub num.* 5. *Orationum tertiæ, & quartæ argumenta.*

linus, qui in ſuis de vulgari idiomate animadverſionibus rudiùs, & acerbiùs, quàm decuit, impetito Romulum Amaſæum aſſertorem in primis, actoremque induxit, ea de re cum Achille Bocchio, cum Alexandro Manzolio, cum Leandro Alberto acriter diſputantem. Non ita Hieronymus Mutius, qui ad vindicandam Italici ſermonis amplitudinem, ac venuſtatem adverſus Romulum ſcribere aggreſſus eſt, quem ut ut maximi faceret, ſummamque cum illo haberet neceſſitudinem, potuit quidem Oratoris nomini parcere, inſtituto, atque judicio non potuit; & rurſum in quinto Eglogarum libro quartam ipſimet Romulo inſcribens, nihilque jam de ſua opinione diſſimulans, amicum amicè monuit, & rogavit, quo leniorem ſe erga maternam linguam (ſic ille vernaculam appellabat) humanioremque præberet. Non ita denique Juſtus Fontaninus, qui Amaſæi ſententiam, pro ſtudio, quo is in Latinam linguam ferebatur, maximo, voluntatemque excuſavit, ipſum verò Romulum præcipuos inter, quos numerat, Italici idiomatis vituperatores, & adverſarios recenſuit. Illud porrò certiſſimum eſt duplici, quam memoravimus, Oratione primum veluti a Romulo ſignum datum ad arma pro utraque lingua capeſſenda, præliaque innumera committenda, quæ inter literatos viros, principeſque optimarum Artium cultores ſtatim efferbuerunt, longiſque deinceps temporibus exarſerunt. Magnum tamen ex illis Orationibus laudis, & famæ incrementum ad Romuli eloquentiam acceſſit, quo fortaſſe factum eſt, ut honos illi præ cæteris a Pont. Max. delatus fuerit, fauſtiſſima initæ pacis auſpicia publicè, ut diximus, celebrandi. (97) Ex illo tempore Bononienſis Senatus non modò doctrinam Romuli æſtimare plurimi, ſed ipſummet Romulum acceptiorem in primis, & chariorem habere cœpit. Huic primùm honores, & commoda, huic immunitates, & privilegia, quibus cæteri potiri Cives, & perfrui ſolent,

(97) *Si quæcumque ad integram de Latinæ, & Hetruſcæ linguæ præſtantia quæſtionem pertinent, & quid ea de re Romulus verè ſenſerit, quid Scriptores alii interpretati fuerint, funditus noſſe libeat, primùm dictæ Orationes ſub num.* 5., *dein* TESTIM. 9. 23. 24. *attentè conſideranda.*

lent, ultro conceſſit, (98) tum Patri etiam, aliiſque Affinibus, & Propinquis jure poſtliminii reddidit, & univerſam Amaſæorum Gentem inter antiquas, & nobiles Bononiæ Familias recenſendam declaravit. (99) Quocirca paucis ille poſt annis in loculis ſortium poſitus; (100) ejus verò Liberi, ac Nepotes, ſuis quique deſcripti temporibus, in iiſdem apparent, (101) & Pompilius præterea Romuli filius inter Antianos Conſules, & Tribunos plebis, tamquam Nobilis, adlectus reperitur. (102.) Fecerunt ſiquidem multiplices, ac variæ occupationes, & curæ, quibus vel in excolendis, tradendiſque humanioribus literis, vel in negotiis Reipublicæ adminiſtrandis Romulus aſſiduè diſtinebatur, ut quorum ipſe Magiſtratuum dignitati adcundæ, exercendiſque muneribus maximè fuiſſet idoneus, ferendis tamen incommodis planè impar extiterit. Nam illud quoque ad cætera beneficia, ſingulari, & novo prorſus exemplo, Senatus adiecerat, ut ipſum ſecretiori tabulario, publicorumque actorum deſcriptioni, & cuſtodiæ præficeret. (103) Quo facto Notarii, Patrum providentiam, & liberalitatem æmulati, ſuum pariter in Collegium, nulla mora interpoſita, nulla mercede exacta, Romulum receperunt, bene exiſtimantes tanti nominis gloriam pretii cujuſcùmque vel maximi loco habendam eſſe. (104) Decreto autem ejuſdem Senatus æquiſſimo cautum erat, ut ne ille rerum publicarum procurationem a conſuetis Scholarum lectionibus, exercitationibuſque ſejungeret, ſimul Urbis utilitati, & Gymnaſii neceſſitati conſuleret.

---

(98) *Vide Orationem decimamſeptimam ſub num.* 5. *ibi* = Neque ita multò poſt = *uſque ad* = judicia communicata, & MONUM. VII. *lit.* o. XIII. *lit.* f. XV. *lit.* g., *quibus ex locis civitas Bononienſis* in ampliſſima forma *Romulo conceſſa dignoſcitur*. (99) MON. VII. *lit.* q. r. f. XV. *lit.* k. l., & C. *lit.* c., *quo tempore Clemens VII., & Carolus V. denuo Bononiam conveniunt, ut ex* MON. XXXXIX. (100.) MON. XXII. (101) MON. LXXXXI. (102) MON. LXXXX. (103) *Vide Orationem decimamſeptimam ſub num.* 5. *ibi* = mihi poſtremò, quod ante me nemini, qui ſuo, patrio, & avito ortu civis non eſſet, perpetua tabularii, & publicorum actorum præfectura..... decreta = & MON. XIV. C. *lit.* f. CI. *num.* 8. CL. CLI. *Ex* MON. *autem* LXXXIX. *colligitur mercedem officio Rotulorum aſſignatam ad Scribam Senatus maximum pertinere*. (104) MON. CL.

ret. (105) Hanc igitur negotiorum, literarumque conjunctionem, quam ille consilii anceps, diuque cunctatus propter rei difficultatem, & magnitudinem aliquando metuerat, impigrè jam, & alacriter ex Senatus auctoritate complexus est; immo verò id ipsum longa Oratione contendit, cognoscendarum rerum, & agendarum officia ita invicem non pugnare, ut humanæ potiùs naturæ institutis, atque præceptis æquè conformia, & perpetuo quasi nexu jungenda videantur, multiplicesque, ac varias civilis vitæ occupationes ita doctrinæ studiis oneri, & impedimento non esse, ut opem etiam afferant, & ornamentum. Quam quidem sententiam testimoniis plurimis tum antiquis, tum novis, sive exteris, sive domesticis confirmavit, eaque, quantumvis magna, & illustria, aut proprio æquavit, aut etiam superavit exemplo. (106) Præfecturam namque illam tanta fide, ac diligentia administrabat, suamque operam, perpetuosque labores inter negotia publica, & literarum studia sic tribuebat, utrique ut muneri, quantumcumque esset, apprimè satisfaceret, nec Patrum expectationi, nec Auditorum desiderio deesset. Negotia quod attinet, versanti mihi sæpenumero, & veterem Actorum memoriam, quibus toto quatuordecim annorum spatio Romulus præfuit, (107) repetenti quàm multa se offerunt, quàm præclara, quàm pulchra vel Epistolarum, vel Decretorum monimenta, quæ si legantur, tum propter Senatorum auctoritatem, atque prudentiam, rerumque magnitudinem, & gravitatem, tum verò maximè propter Scriptoris sagacitatem, & curam, scribendique nitorem, & elegantiam incredibilem pariant admirationem: Quorum propterea Monimentorum si nonnulla præsertim ex utroque genere deligi, & proferri fas esset, magna enimvero ad cæteros, quos ille venustissimos, & suavissimos edidit, literarum fructus accessio fieret. Quos inter Xenophontis libri septem, de Cyri minoris expeditione, latinè versi primum sibi ordine, sin minus dignitate, vindicant locum. Etenim cum instante anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio P. M., & Imperator Bononiam iterum con-

(105) MONUM. XIV. (106) *Vide Orationem octavam inter* OP. ED. *Romuli sub num.* 5. (107) *Vide Orat. decimamseptimam sub num.* 5. *ibi*, *ut supra* = Mihi postremò &c.

conveniſſent, (108) illos Romulus libros *e ſuæ*, ut ipſe ait, *bibliothecæ latebris, in quibus annos amplius duodecim rudes, & informes penè contabuerant, eductos*, celerique cura, & quaſi præcipiti diligentia expolitos, & Ludovici Avilæ nomine inſcriptos in lucem emiſit. Erat is intimus Caroli V. Cubicularius, idemque Romulo cariſſimus, ut propterea inſcriptio operis ad Avilam ſuo veluti jure pertinere videretur, tum propter quamdam Turcici belli, in quo Cæſaris virtutem, & felicitatem ſecutus fuerat, cum illa Græcorum expeditione ſimilitudinem, tum propter ſummam ſive animi, ſive doctrinæ Avilam inter, & Romulum conjunctionem. (109) Quæ quidem Xenophontis verſio, ut Auctori ſuo, qua erat ſeveritate, atque modeſtia, non magnopere probaretur, communem tamen doctorum hominum meruit approbationem, in primis Abrahami Leſcheri, quem ſi audias, ex iis nimirum libris non modò *quantum Amaſæus & ingenio valuerit, & in hoc ſtudii genere potuerit*, ſatis intelligas, *ſed græcoſne legere malis, an latinos*, judicare ferè non poſſis. (110) Contigit eodem anno duorum Adoleſcentum, Bartholomæi ſcilicet Fauſtini Mutinenſis, & Theodori Gariſendi Bononienſis interitus, quos Romulus Græcis, Latiniſque literis inſtitutos non tam uti diſcipulos, & alumnos, quam ut amicos, & liberos diligebat. Itaque cum breviſſimo trium vix menſium curriculo ambos amiſerit, nocturnis alterum circumventum inſidiis, fœdiſſimiſque transfixum vulneribus, ac miſerabiliter cæſum, alterum oculta morbi vi intra primum ac viceſimum diem, poſteaquam decumbere cæperat, oppreſſum, atque conſumptum, tantum ille pietati indulſit, & luctui, ut annuæ prælectionis tempore, & loco memoriam ipſorum funebri Oratione recolere, ingeniorum, & doctrinarum laudes deſcribere, ornamenta morum, atque virtutum celebrare voluerit. Orationem hanc nunquam a Niceronio viſam credendum eſt. Nullus enim relinqui poterat ſuſpicioni locus

ado-

(108) *Vide* MON. XXXXIX. *in ſuperiore Nota 99. indicatum.* (109) *Inter O'. ED. Romuli vide ſub num. 2., quæ de Xenophontis verſione, fuſius afferuntur.* (110) *Sub num. 3. Vide quæ de Verſione prædicta, itemque de alia Pauſaniæ interpretatione plurium Scriptorum opinio fuerit.*

adoleſcentes illos pro Amaſæi liberis accipiendos, ſi modo aut ad ipſa Orationis verba parumper animum attendiſſet, aut ſolum Orationis titulum inſpexiſſet. (111) Exeunte Septembri ſequentis anni Clemens VII. diem obiit ſuum, nec multò poſt Alexander Cardinalis Farneſius ſummo Patrum conſenſu, & ingenti populorum omnium plauſu electus eſt, & Pauli III. nomine Pont. Max. declaratus. Hanc quoque occaſionem, quippe quæ in ſolemnia incidit ſcholarum initia, recto, providoque conſilio arripuit Romulus, ut ex nova tanti Principis electione bene de literis auſpicatus ad intermiſſa optimarum diſciplinarum ſtudia multò meliore, & alacriore animo inſtauranda juventutem alliceret, atque hortaretur. (112) Magna enimvero a primo nuncii fauſtiſſimi adventu expectatione, atque lætitia univerſa Civitas completa eſt, quæ doctrinarum omnium, ac virtutum nobiliſſimarum facultates, & opes, quibus Pontifex abundabat, tum ab aliis jampridem audierat, tum ſuis ipſa oculis non ſemel ſuſpexerat, treſque præterea eximiæ indolis, ſpeique maximæ adoleſcentulos Nepotes ejus ſuum veluti in ſinum receperat, & in Ancarano Collegio, ceu totidem Pontificiæ benignitatis pignora, ſuaviſſimo & prope materno ſtudio fovebat, atque educabat. Legati illico ex Ordine Senatorum delecti, qui Romam gratulatum irent, fideque, ac obedientia, Senatus, & Populi Bononienſis nomine præſtita, publicis de rebus cum Pontifice agerent, ejuſque auctoritatem, & gratiam pro tuendis Patriæ privilegiis, commodiſque, & ornamentis amplificandis obteſtarentur. Legationi huic adjunctus eſt Romulus, ut acta, & epiſtolas ſcriberet, Legatorumque mandata perficeret. (113) Quibus profecto, cunctiſque pariter Senatoribus ſuam in negotiis gerendis ſolertiam, dexteritatem, prudentiam ſingularem in modum probavit, (114) ſicque in omnibus ſatisfecit, ut paucis a reditu men-

(111) *Vide ſub num.* 5. *Orationem nonam, & præterea* MONUM. LXXXVIII. & LXXXIX. (112) *Vide ſub eodem num.* 5. *Orationem decimam. Hoc anno* 1534. *Romulum ad Patrem Utini morantem ſe contuliſſe, & alia præterea itinera nunc Patavium, nunc Venetias, nunc Veronam, nunc Mantuam confeciſſe ex* MON. CLIII. *elicitur.* (113) MON. L. & LXXXVII. (114) MON. CLV. *Guido Aſcanius Sforzia, alter ex Nepotibus Pauli Tertii, Bononiæ poſtea Legatus fuit, ut ex* MON. XXIII.

Digitized by Google

menſibus neminem præ illo potiorem duxerint, cui dona traderent ad geminos Pauli Nepotes Alexandrum Farneſium, & Guidonem Aſcanium Sfortiam Cardinales nuper creatos, & ad Urbem Bononia profectos, Senatus nomine deferenda, rerumque publicarum procurationem ſimul committerent. (115) Romam ergo reverſus, & officio apud illos egregiè ſoluto, Pontificem adiit, exhibitiſque Senatus literis petitiones quaſdam, proùt in mandatis habuerat, explicavit. Duodecim Negotiorum capita numerabantur, quorum ſingula vel cum eodem Pontifice, vel cum aliis Romanæ Curiæ Proceribus, & Adminiſtris accuratiſſimè pertractavit, fermè omnia brevi temporis intervallo feliciter, & ex ſententia confecit: (116) in quo ut multum Principis liberalitati, & ipſorummet poſtulatorum æquitati tribuatur, fatendum eſt tamen Romuli quoque præſentiam, & nomen magnopere valuiſſe. Optima ſanè fuit erga illum Pauli voluntas, & gratia, ſcriptumque legimus de Amaſæo jam tum retinendo, ut ſuam Nepotibus operam in cultu, atque exercitatione literarum adhiberet, Pontificem Maximum cogitaſſe. Atqui duo præ cæteris Negotia ſunt, quæ ſilentio præteriri non poſſunt; alterum optatiſſima quinqueviralis Bononienſis Rotæ Inſtitutio, quæ Civiles Cauſas æqua cum poteſtate cognoſceret, & judicaret; (117) alterum honorificentiſſima Joannis Mariæ a Monte Archiepiſcopi Siponti, qui eo tempore Bononiæ præerat, (118) commendatio, ne aut a munere divelleretur, quod maxima totius Civitatis cum admiratione, reique publicæ utilitate gerebat; aut, quando nulla diuturnioris moræ ſpes eſſet, non niſi ad ampliſſimos officiorum, & dignitatum gradus conſequendos Romam abduceretur. (119) Quæ Bononienſium vota non omni ex parte vacua, & irrita ceciderunt. Nam quo potiri diu, fruique non licuit re-

C ctiſ-

(115) MONUM. XVII. LI. LII. *Hoc loco non videtur eſſe ſilentio prætermittenda Bononienſis Senatus erga Nuncios, & galerorum Apportatores ad Nepotes Pauli III. Bononiam delatorum liberalitas, proùt ex* MON. XVIII. XIX. & XXXVI. *colligitur. Vide etiam* MON. L. *lit.* a. b. c. & LXXXXIII. (116) MON. LIII. (117) *Ex Actis publicis conſtat præſertim in Lib. Part. ab anno* 1535. *ad* 1543. *Prima Auditorum Rotæ electio facta eſt die* 9. *Januarii* 1535. (118) MON. XVI. L. *lit.* d. (119) MON. LIV.

ctiſſimo, ac vigilantiſſimo Provinciæ Præſide, (120) eum non multò poſt in ſacrum Cardinalium Collegium relatum coluerunt, (121) & beneficentiſſimum deinceps Patronum, ſeu Patrem potiùs longè amantiſſimum experti ſunt. Rebus ſic comparatis Bononiam repetit Romulus, mira prorſus, & incredibili tum Præſidis, tum Senatus benevolentia, ac voluptate ſuſceptus. (122) Et Præſes quidem, quàm præclarè de hominis doctrina, ac probitate ſentiret, jam tum oſtenderat, cum illi Joannem Baptiſtam Fratris filium propria in domo educandum, erudiendumque crediderat; (123) idemque recens erga ſe obſequii, & amoris officium, de quo antea diximus, fortaſſe non ignorabat. Senatus verò quam Romulo facultatem humaniores literas publicè profitendi jamdiu conceſſerat, & largioribus identidem conditionibus renovaverat, facta etiam non mediocri ſtipendii acceſſione, confirmavit: nempe ut ille præmium aliquod præteritorum laborum acciperet, & omnem mutandi ſoli, dignitatumque, & opum appetendarum, ſi quam fortè in animum induxiſſet, cogitationem deponeret. Gratus propterea, & libens curſum, quem inierat, tenuit, & ad priſtinam ſe ſe compoſuit Vitæ, ſtudiorumque rationem. (124) Nullam ſive diei, ſive noctis particulam a conſuetis muneribus, vitæque neceſſitatibus expeditam pro ea, qua ſemper fuit, ſedulitate, & induſtria, ſinè aliqua ingenii exercitatione dilabi, ſinè aliquo doctrinæ fructu excidere patiebatur. Quin & ipſa ſpatiola temporis, quantulacumque publicis, privatiſque Lectionibus ſupereſſent, ſeu legendo, ſeu ſcribendo lucrifaciebat, otio nihil indulgens, honeſtæ animi relaxationi, omnino parum. Quamquam vel ipſo legendi, ſcribendique uſu literatorum hominum eriguntur animi, & recreantur. Sic Orationibus Romulus, & latinis præſertim Epiſtolis conſcribendis mirificè delectabatur. (125) Quarum epiſtolarum (præter eas, quæ aut typis vul-

(120) MONUM. XXI. LVI. (121) MON. LVII. (122) MON. LV. (123) MON. CLIV. CLV., *ex quo non unum duntaxat, ſed geminos Gubernatoris Bononiæ Fratris Filios Romuli fidei, ac diſciplinæ commendatos apparet, itemque duos Pauli Tertii Nepotes.* (124) MON. XX. (125) *Inter* OP. ED. *Romuli vide num.* 6. 7. 8. 9. 10. *Inter* INED. *autem num.* 13. 14. 15. 16. 17. 18.

vulgatæ ſunt, aut in ſecretiore Bononienſis Senatus tabulario ejuſdem Senatus nomine ſcriptæ, aut in Ambroſiana Bibliotheca, aut etiam alibi ineditæ reperiuntur) in noſtro Scientiarum, & Artium Inſtituto libellus extat, manu ipſiuſmet Romuli, quantum conjicere licet, deſcriptus: de quibus hoc loco mentionem facere conſtituimus, quòd ea potiſſimùm attingant tempora, quæ Pauli Tertii electionem proximè ſecuta ſunt; (126) & quinque ex illis delegimus, dignaſque præ cæteris, vel propter rerum magnitudinem, atque præſtantiam, vel propter dicendi copiam, & venuſtatem, putavimus, quæ tôtæ exſcriberentur, & in publicam lucem emitterentur. (127) Interea ex ejus ludo, ceu fortiſſimi duces, ac milites ex equo Trojano, Viri prodierant literarum laude clariſſimi, qui Magiſtri nomen in omnes deinceps ætates nobilitaverant, & ad omnes latè regiones, quantumvis obſcuras ac diſſitas, propagaverant. Celebriorum recenſuit nomina ſuis primùm temporibus Goynæus, noſtris Lirutus: quorum porro diſcipulorum, ſive numerum quærimus, multitudinem prope infinitam, ſive dignitates, & munera, Scribas, Doctores, Equites, Senatores, Epiſcopos, Cardinales, ſive Nationes, non Italos modò, ſed Germanos, ſed Gallos, ſed Britannos, ſed Sarmatas reperimus. (128) In tanta famæ celebritate Vir ſummus, idemque integerrimus pacatè, ut ſolebat, modeſtèque cum viveret, (129) omni prorſus invidia, & obtrectatione non caruit. Nam etſi Scriptor ipſe per ſe caſtiſſimus alieno nomini numquam detraheret, ſuoſque ſic informaret, & inſtitueret Auditores, omnes ut colerent, neminem læderent; non defuit tamen, qui doctrinam ejus in dubium vocaverit, initamque ſtudiorum, præceptorumque rationem improbarit. Fuit is Sebaſtianus Conradus, qui cum librum, cui Quæſturæ nomen impoſuit, de M. Tullii Ciceronis vita conſcripſiſſet, eo in libro Amaſæum reprehendere, & aliquot in locis laceſſere non dubitavit. Fortè ad manus Roberti cujuſdam Cantajni Bononienſis venerat liber multis ante annis, quam typis conſignaretur. Is

(126) *Inter* OP. INED. *vide num.* 19., *ac diligenter perlege.* (127) *Vide eumdem numerum* 19. *circa finem.* (128) *Goynæus in ſua Oratione, Eononiæ edita* 1533. TESTIM. 10.; *& Lirutus in citato ſuo Opere pag.* 361., *& ſeq.* (129) *Ejus rei argumentum eſto* TEST. 5.

Goynæo traditus, reque inter Auditores Romuli ſtatim vulgata, moleſtiam omnibus parem, & incredibilem peperit indignationem. Accuſatio autem Conradi erat hujuſmodi: a Romulo, ejuſque Auditoribus verborum delectum quæri, rerum cognitionem negligi, in Ciceronis voculis operam, & laborem impendi, omnem ſapientiæ curam abjici. Non tulit Goynæus opinionem iſtam animis imperitorum hominum inſidere, notamque fœdiſſimam, pro ſua in Præceptorem pietate, atque obſervantia, communique ſociorum dignitate, & gloria, delere aggreſſus eſt. Itaque primùm illud longa, & vehementi Oratione contendit, non modò utilem, ſed omnino neceſſarium eſſe delectum verborum, quem Cajus ipſe Cæſar, cum de ratione latinè loquendi ad Tullium accuratiſſimè ſcriberet, originem eſſe dixerat eloquentiæ. Deinde Romulum de apta verborum, rerumque conjunctione longè aliter ſenſiſſe, ac Conradus finxerat, demonſtravit. Quin & ſententiam referens ipſam, quam ille literis conſignatam cum ſtudioſis adoleſcentibus intra parietes domeſticos ſæpenumero communicare conſueverat, *Romulus*, inquit, *quoad poſſum memoriam pueritiæ ſuæ recordari ultimam, in ea ſemper fuit, & uſque ad hanc ætatem permanſit ſententia, ut mutilam & mancam, & planè puerilem eſſe dicendi copiam putaret, quæ ſejuncta eſſet a rerum omnium divinarum, humanarumque cognitione, quòd animadvertiſſet vir ille prudentiſſimus, & cum Græcorum, tum Latinorum omnium conſultiſſimus Ciceronem, Plutarchum, Quintilianum, Baſilium magnum dicere ſolitos ex rerum ipſarum comprehenſione efflorefcere, & redundare orationis facultatem, & copiam*. Sententia Romuli ſic, ut ſupra, expoſita, facti denique fidem, & auctoritatem adjecit, lectionem quamdam præ cæteris memorans, quam ille de animi æternitate in Bononienſi Gymnaſio nuper habuerat; ex qua ſatis apparuit Virum eruditiſſimum præcipua Philoſophorum ſyſtemata probè calluiſſe, penitioreſque Philoſophiæ receſſus, & fines, campoſque vaſtiſſimos perluſtraſſe. Quamquam quid pluribus immoror in hoc Goynæi, ut ut graviſſimo, teſtimonio, quod illa ætate ipſa erat fortaſſe non neceſſarium, noſtra prorſus inutile videri queat, cui cum doctiſſimorum Romuli Operum propè divinum, & immortale lumen affulgeat, nihil jam ad ejus ſtudia aſſerenda, vindicandamque ſapientiam requiratur? Illud tamen, quod ad gloriam

riam Romuli pertinet, minimè diſſimulabo, defenſionem Goyinæi jam inde ab anno trigeſimo ſeptimo, Quæſturam verò Conradi non niſi quinquageſimo quinto ſupra mille quingentos prodiiſſe; tantumque abeſſe, quod in hac quidquam repertum fuerit Amaſæi exiſtimationi quomodocumque contrarium, ut apertè potiùs idem Conradus, palamque declaraverit, ſemper illum a ſe plurimi factum, & inter Viros, quos maximè obſervaret, & coleret, reputatum. Quam ſanè declarationem etiamſi multa, quæ a Conrado antea extiterant, obſequii erga Romulum, & benevolentiæ argumenta confirment, nemo tamen, qui omnia ritè perpenderit, illam rei veritati magis conſonam, quàm ingenuæ cujuſdam, & honeſtæ pœnitentiæ indicem judicabit. (130) Inclinante jam anno milleſimo quingenteſimo trigeſimo nono commeatum Romulus a Senatu popoſcerat, quo Romam iterum, res fortaſſe domeſticas curaturus, ad paucos dies digrederetur. Annuit Senatus, captaque profectionis illius opportunitate, mandata quædam Romulo dedit, neque ſolùm publica vota, ſed ipſummet Romulum, & quæcumque is ſua etiam cauſa rogaturus eſſet, Pontifici commendavit. (131) Rectè, & proſperè ceſſerunt omnia; (132) quantò enim ille ampliora in dies probitatis, & prudentiæ ſigna præbuerat, Pauli gratiam inierat tantò majorem, a quo ferunt Romulum ipſum pro difficillimis Apoſtolicæ Sedis negotiis ad Cæſarem, ad Poloniæ Regem, & ad alios Germaniæ Principes delegatum. Incertum eſt tamen num ea delegatio, ſi modò ulla facta eſt, in iſtud, an in aliud tempus inciderit. Illud certum eſt, Amaſæum neque tum, neque poſthac eo munere

(130) *Univerſam hanc quæſtionem maxima in luce conſtituunt* TESTIM. 7. 10. *Quanta verò Romulus non modò copia, & elegantia verborum, ſed rerum quoque eruditione, & doctrina præſtiterit, præter* TEST. 10. *pleraque alia, nempè* 4. 8. 15. 17. 20. 22. *egregiè confirmant, & ipſemet Romulus in Oratione octava (inter ejus* OP. ED. *ſub num.* 5.) *ita de ſe profitetur ibi* = Ac primùm bonam, & magnam ætatis meæ partem ità in cognitionis ſtudiis conſumpſi, ut nullum ingenuarum artium, ac liberalium diſciplinarum genus mihi attingendum, ac deguſtandum non putarim. *Vide etiam* MONUM. XIII. *lit.* b., *&* MON. XIV., *& alia pleraque in Appendicem relata, præſertim Lit. Apoſt. Julii III. in* MON. CLX. (131) MON. LVIII. (132) MON. LIX.

functum, rursumque Bononiam sub ejusdem anni exitum remigrasse. (133) Sed alia biennio nondum exacto novi, & inopinati discessus, tristis enimvero & acerba, a Patris interitu supervenit occasio: (134) quo audito statim contendit Utinum, ibique tamdiu, quamdiu per Senatum licuit, substitit, haud multò post ad gravissima rei publicæ negotia gerenda in adventu Pontificis Maximi revocatus. (135) Epigraphen Patri posuit, (136) & Orationem in funere scripsit, quam deindè pro annua Studiorum inauguratione, tametsi aliquanto seriùs, quàm Scholarum consuetudo ferebat, Bononiensi e cathedra recitavit. (137) Neque verò aut solùm, aut maximè, proùt Orationis præsefert titulus, obitum Parentis in illa deplorat; sed multiplices memorat, & adversos tum fortunæ, tum valetudinis casus, quibus per aliquot menses exagitatus, atque dejectus, non potuit, quin ad renovanda studia minùs, quàm solebat, alacer, & paratus accesserit. Hos ille casus copiosè admodum, & ornatè describit, quos propterea multò, quàm ex me, præstabilius fuerit ex illo cognoscere. Rem ergo narrat in hunc modum: *Patrem primùm subita, atque inopinata morbi vi oppressum amisi, grandi illum sanè natu: quippe qui ne juvenis quidem filii pater esset; sed & prisca planè fide, & probitate, & juvenili prope corporis robore senem, qui cum ad Civilis, Pontificiique juris pruaentiam omnium literarum, ac disciplinarum acerrimum studium adjunxisset (quod ejus aliquando vigiliæ planum facient) facilè perfecit, ut qui dum vixit penè latuit, posteris quantavis luce, ac nominis celebritate dignissimus fuisse videri possit. Commovit ejus me obitus vehementiùs fortasse, quàm hominis debuisset, qui satis jamdiu cum laude vixisset; sed pietas, sed illius viri haudquaquam vulgarium virtutum recordatio vim quasi rationi afferentes animum identidem ad luctum revocabant; & sanè non magis ego parentem, & eumdem vitæ magistrum, ac literarum Doctorem luxi, quàm universa illa ejus, mea et-*

(133) *Ex Epistola quarta prædicti* MONUM. LIX. *liquet Romulum in eo fuisse, ut Bononiam citò reverteretur.* (134) MON. C. *lit. d.* CI. *num.* 5. (135) MON. XXII. XXIV. XXV. XXVI. LX. (136) MON. CI. *num.* 5. (137) *Vide inter* OP. ED. *Romuli Orationem decimam quartam sub num.* 5.

etiam natalis Patria, Viri consilio magnis sanè periculis explicita cupisse se immortalem illum esse, si fieri potuisset, publico mœrore testata est. Accepto de Patris interitu nuncio, cum magnis itineribus seriùs quàm oportuisset, tamen illuc contendissem, offendi quæ ex re familiari agi, ferri, ac rapi potuerant, ab infidelibus propinquis, ac domesticis distracta omnia, ac dissipata. (138) *Quocirca filium latinæ græcæque linguæ jam laude florentem, & in hoc ipso scholastico munere non inexercitatum, quique, tamquam Hercules Atlantem, ingravescentem jam ætatem meam onere levare, & valetudinis meæ damna sarcire poterat, illum ego ad colligendas quasi naufragii reliquias, haud scio an magis invitus, quàm volens reliqui. Non abducebant tamen privata me hæc aut incommoda, aut infortunia a solemni hoc, quod semper, cum rectè valui, libentissimè usurpavi, & vestris destinato studiis opere; neque enim mihi committendum unquam duxi, ut privatæ ullius rei causa publici officii intermissionem facerem; sed quæ consecuta sunt, ejusmodi profectò fuerunt, ut facilè apud vos, animosque vestros, & meam hanc in exordiendo cunctationem, & ipsam tam imparati exordii siccitatem, &, ut ita dixerim, jejunitatem purgare, & excusare posse videantur. Nam cum equi, quo vehebar, lapsu propè exanimatus pedem alterum tam graviter offenderim, ut nullis Medicorum auxiliis ita malum levari potuerit, quin adhuc plurimum agilitatis in motu, & in gressu celeritatem pristinam desiderem, facilè patiebar, vel pede esse me altero debiliorem, modo ut eæ corporis partes essent incolumes, quæ menti proximiores ejus internunciæ sunt, & administræ. Hic vel fortuna, vel Nemesis meam valetudinem infensior est adorta, morbo scilicèt eo injecto, quo cum laterum infirmitate, vitæ etiam ipsius periculo, spiritus ac vocis itinera obstruerentur, ægrum me lectulus eos ipsos dies detinuit, qui partim in prolusionum, & commentariorum meditatione, partim in quotidiana hujusce muneris exercitatione fuerant consumendi. Qua igitur ratione neque dum mediocriter valens, aut confirmatus vestram, AA., vel tenuissimam expectationem sustinere me posse confidam?* Hactenus Romulus, cui infelici illo in itinere id saltem fausum, gratumque accidit, ut

(138) *Fortè Dorothea Hieronymi Amasæi filia legitima, & naturalis, de qua in Nota 48., Gregorii Patrui sui hæreditatem invaserat.*

Gulielmum Pellicerium Chriſtianiſſimi Regis apud Venetos Legatum Patronum ſuum Venetiis inviſerit, & eruditiſſimos inter, ſuaviſſimoſque ſermones, cum alia pleraque benevolentiæ, & humanitatis argumenta, tum verò annulum ſapphiro inſignem dono datum acceperit. (139) At infortunia ipſa, quæ tam multa, tamque diverſa fatali quadam ſucceſſione ſubierat, rei quidem familiaris facultates minuere, (140) & vires corporis debilitare, virtutem autem dejicere, & animum frangere non potuerunt. Hinc tametſi valetudine jam minùs firma uteretur, eſſetque triſtibus rerum eventibus non mediocriter perturbatus, nullam tamen utriuſque Officii curam, laborem nullum, qualemcumque illi Senatus detulit, recuſavit, & ad omnia munera capeſſenda impigrum volentemque ſe præbuit. Proximè ſequenti anno Bononiam venerat Gaſpar Cardinalis Contarenus, Vir ingenio clarus, & genere, rerumque tum cognoſcendarum, tum gerendarum prudentia ſingularis, illamque Sedis Apoſtolicæ nomine integritate tanta, ac benignitate regebat, tantoque opere, ac ſtudio ornamenta Civium, & commoda procurabat, ut univerſæ Civitatis gloria, & felicitas ſic, ut erat, meritò vocaretur. Sed paucis poſt menſibus, quàm Provinciæ præerat, a Summo Pontifice electus ad compeſcendas iras, pacemque inter Carolum V. Imperatorem, & Franciſcum I. Gallorum Regem conciliandam iter jam ad Cæſarem maturabat, cum repente ex lateris dolore in febrem incidit, cujus æſtu conſumptus, & intra ſeptimum diem, remediis omnibus incaſſum adhibitis, ſublatus eſt. Ingens continuò mœror, ac luctus, veluti ex calamitate, & clade publica, conſecutus: funus maximo Sacerdotum, Magiſtratuum, Senatorum, omnino omnium Civitatis Ordinum comitatu, & incredibili totius populi frequentia ductum: juſta in Divi Petronii ſolemni cum pompa, & apparatiſſimis cum honoribus perſoluta: Legati denique, ſeu veriùs Parentis optimi laudes ab Oratore diſertiſſimo celebratæ. Nempè is Orator (quod rem noſtram attinet) Romulus fuit, cui fortè uni, tametſi vix ullum aut meditandi, aut ſcribendi ſpatium concederetur, id oneris imponi poterat, quin

(139) *Inter* OP. ED. *Romuli vide ejuſdem Romuli Epiſtolam jub num.* 7.
(140) *Repete ſuperiorem Notam* 138.

quin aut argumenti magnitudini, aut loci dignitati deeſſet. Et res tamen ipſa, niſi certiſſimis teſtimoniis conſtaret, fide major videri poſſet, præſertim cum Orationis ejus nullum, quod noverim, aut prælo editum, aut manu exaratum, reperiatur exemplar. (141) Præclaro hoc propter amplitudinem laudum, eodemque propter temporis brevitatem difficili officio functus ſtatim ad alia reipublicæ munera, neque minùs illuſtria, neque minùs ardua, traductus eſt a Senatu; in quibus adminiſtrandis conſilio tantum, & opera præſtitit, quantum in laudatione illa ingenio, & eloquentia præſtiterat. Agitari jam tum aquarum negotia cœperant, & diſſidia non parva ob illarum derivationem, & curſum inter Herculem Secundum Ferrariæ Ducem, & Bononienſes excitari: quæ conſequentibus deinceps temporibus non modò non reſtincta, ſed translato etiam Ferrarienſis Provinciæ ad Apoſtolicam Sedem dominio ad hanc uſque ætatem, neſcio quo fato, producta, & aucta ſunt, immenſa auri vi pro dirimendis litibus, avertendiſque periculis incaſſum abſumpta, noſtriſque interea prædiis, & ædibus miſerandum in modum latè vaſtatis, ipſamet indignante, ac reluctante natura; ad hanc, inquam, ætatem, cui concordiâ denique, & integra illuſtrium Hydrometrarum conſiliæ, æquiſſima Cardinalium, & Præſulum rei aquariæ Præfectorum decreta, ſuprema Clementis tertii decimi Pont. Max. auctoritas, & providentia, impigra, & conſtans lectiſſimi Præſidis cura, & vigilantia inſtare jam, & adeſſe præteritorum malorum finem, aut certè remedium aliquod pollicentur. (142) Senatus ergo, ad quem Pontificiæ ditionis jura, ſuorumque fortunas Civium tueri maximè pertinebat, quid Hercules pro nova Santerni amnis deductione vel gereret, vel cogitaret, Pontifici detulit, ut is finitimi Principis libertati, & potentiæ reſiſteret, & quæ Bononienſium paritèr, & Forocornelienſium agris, quorum communis

res

(141) *Inter* OP. INED. *Romuli vide num.* 11., *&* TESTIM. *6.* 14., *&* MON. XXVII. XXVIII. LXII. LXXXXIIII. (142) *Neminem latent Hydrometrarum conſiliæ, & Sacræ Congregationis Decreta a Summo Pontifice Clemente XIII. approbata, & clariſſimo Præſuli Ignatio Ludoviſio Boncompagno pro executione mandata. Ea ſcilicet documenta tum Romæ, tum Bononiæ edita anno* 1767. *in oculis omnium, manibuſque verſantur.*

res agebatur, vel illata jam essent, vel impenderent discrimina, propulsaret. (143) Misit Pontifex Protonotarium quemdam, Pamphilum Strasoldum nomine, Patria Utinensem, probatæ integritatis, & priscæ fidei Virum, qui utriusque Provinciæ loca unà cum legum Doctoribus, rerumque hydrometricarum Peritis inviseret, & aquarum, & finium jura recognosceret. (144) Hunc quatuor ex numero Senatorum officii causa delecti conveniunt. Hunc adit ipse, & ubique sequitur Amasæus, nempe ut consilia Senatus, & vota coram interpretetur, tum exploret, ac referat quo Judex propendeat animo, quid opinetur, quid spectet, rationes afferat, difficultates diluat, omnes denique pro patriæ incolumitate cogitationes, & curas impendat. (145) Mandatis ille diligentia summa, & mira, qua pollebat, sagacitate satisfecit, eamdemque ob causam, ut ipso etiam cum Duce colloqueretur, semel, atque iterum Ferrariam perrexit. (146) Sed jam tempus instabat, quo literarum studia renovari solebant, Romulique præsentiam, & operam postulabant. Tantum apud Patres Gymnasii utilitas, & Scholarium expectatio valuit, ut quem antea a Protonotarii latere discedere non patiebantur, nulla mora interposita, revocaverint. (147) Veruntamen rei aquariæ causa magis in dies, magisque urgebatur, nostroque periclitari videbatur incommodo; ut jam non posset Senatus necessitatis publicæ rationem, & vocem Scholarum officiis, & commodis non anteferre. Quocirca, studiis vix initis, rursum ab Academiæ sinu avulsus est Romulus, comes itineris Strasoldo Romam redeunti additus, & pro communi salute ad Pontificem missus. (148) Idibus Novembris Bononia profectus, & menses fermè quatuor Romæ commoratus est; quo tempore suam, si quando aliàs, Senatui fidem, Patriæ charitatem probavit, & solertiæ paritèr, & prudentiæ singularis fructum tulit uberrimum. Quamplurimis extant in literis a Senatu ad Romulum datis, & officiorum commodè præstitorum, & rerum benè gestarum luculentissima testimonia; magnæque spei, & per-

(143) MONUM. LXI. LXIII. CLVI. *lit.* a. (144) MON. XXIX. XXXIX. LXIV. (145) MON. LXIV. (146) MON. XXX. (147) MON. LXV. (148) MON. XXX. XXXI. XXXIV. LXVI. LXVII. CLVI. *lit.* b.

& perpetuæ commendationis, ac laudis plena ſunt omnia. Ex quibus non modò apparet Santerni cauſam, & Rheni (quandoquidem hunc quoque Ferrariæ Dux, neglecta aggerum inſtauratione, ſenſim divertere, & e Pado excludere nitebatur) præclarè, & proſperè actam eſſe; ſed alia præterea, atque alia rei publicæ Bononienſis negotia rectè adminiſtrata, brevi, & feliciter expedita. (149) Cui rerum eventui cum Senatus probè intelligeret, quantum ea, qua Romulus apud Paulum Tertium, & univerſam ejuſdem Familiam fruebatur, gratia, & æſtimatio profuiſſent, providè juſſit non ante illum ab Urbe regredi, quàm Pontifex Bononiam reverteret, adventantem ſubſequi, lateri ipſius, dum tempus, & occaſio ſinerent, adhæreſcere. (150) Pontificem ergo toto in itinere ſecutus eſt Romulus, neque tum ſolùm, cum Bononiam appulit, verùm etiam cum Placentiam, & Ferrariam primò, & deinde Buxetum ad Caroli V. colloquium ſe contulit. (151) Ac ne ullum erga majeſtatem Principis obſequii genus præteriret Senatus, duos præterea ex ordine Senatorum jam conſtituerat, qui advenienti Pontifici obviam irent, (152) itemque duos, qui Longobardiam verſus proficiſcentem comitarentur. (153) Denique cum ſexto idus Julii Romam rediturus Bononia diſceſſit, (154) alii duo Senatores electi ſunt, quorum uterque Ariminum uſque Pontificem proſequeretur, & alter quidem eo ex loco remigraret in Patriam, alter ad Urbem progrederetur, Oratoris officium apud Sedem Apoſtolicam initurus. (155) Amaſæum verò ipſum Bononiæ continuerunt conſueta ſtudiorum, & negotiorum officia, aut nonnulla potiùs, quæ Patrum animis jam tum inceſſerat, dubitatio novum ab illo vitæ genus Romæ ſpectari, ingraveſcenti ætati minus incommodum, & ſatiſcentibus tum mentis, tum corporis viribus magis accommodatum. Sic enim, cum ſatis conſtaret quantum diſcriminis ex tanti Viri jactura rerum publicarum adminiſtrationi, & literarum ornamentis, & commodis impenderet, ſpes fortaſſe aliqua ſuberat eum, ſi tum Bo-

(149) MONUM. LXVII. LXVIII. (150) MON. LXVIIII. CLVI. *lit.* c. (151) MON. XXXIII. CLVI. *lit.* c. (152) MON. XXXII. XXXV. LXX. (153) MON. XXXV. (154) MON. XXXIII. XXXV. (155) MON. XXXVII.

Bononiæ manſiſſet, aliquantò faciliùs, quàm ſi ad Urbem accederet, retentum iri. (156) Sed juſſa Pontificis Maximi, & Cardinalis Farneſii honeſtam hanc fefelleruut induſtriam. Paucis enim poſt menſibus utriuſque accerſitu Romam contendit, (157) nec ibi tamen diutiùs perſtitit, & Bononiam, unde paullo ante diſceſſerat, remeavit. Eſt inter alias Oratio ejus decimaſexta, (158) qua exordii ſui tarditatem excuſat, ſtatim a reditu, & inito jam, & magnam partem emenſo ſtudiorum curſu recitata; quam ſi conſulas, & longioris ceſſationis, & inexpectatæ Romuli reverſionis cauſam intelliges, fidemque ſuſpicioni, quam Senatus conceperat, non abrogabis. Liberè enim, & apertè fatetur, cum *eas facultates, quibus humanitatis ſtudia non admodum*, ut ait ipſe, *infeliciter juverat, effæto diuturnis curis, & moleſtiis ingenio, ac fatiſcente annorum acceſſionibus corpore, carpi in dies, atterique ſentiret, & alacritatem, & virtutem priſtinam deſideraret, ſe enimvero curaſſe, & lapidem (quod ajunt) moviſſe omnem, ut in aliquem honeſti otii portum maturè ſe ſe reciperet, ſummiſque Principibus, penes quos erant orbis terræ gubernacula, non modo aures dediſſe, ſed multis etiam, & aſſiduis precibus ab iiſdem, ut voti compos fieret, contendiſſe: rem ex animi ſententia propè confectam, ſe verò repente de ſtatu vitæ optatiſſimo deturbatum, eò tandem converſa, unde ſolverat, velificatione rediiſſe, & in Patriæ ſinum turbulentis, & periculoſis tempeſtatibus agitatum, atque jactatum confugiſſe*. At (quæ ſunt voluntatum, & temporum vices) ſubita denuo facta eſt immutatio rerum, & inſperata priſtinæ ſpei argumenta, quæ antea conciderant, revixerunt. Multò honeſtiſſimis propoſitis conditionibus Romam paullo poſt revocatur; hæret ille parumper animo, denique ſortem amplexus ſuam illuc regreditur, (159) & humanioribus literis in Archigymnaſio Sapientiæ tradendis, ſtudiiſque Cardinalis Farneſii excolendis præficitur. (160) Tum verò acceptis ea de re a Romu-

(156) MONUM. LXXI. LXXII. LXXIII. (157) MON. LXXIV. LXXV. LXXVI. (158) *Inter* OP. ED. *Romuli vide Orationem decimam ſextam ſub num.* 5., & MON. CLVI. *lit.* e. (159) MON. LXXVI. LXXVII. LXXVIII. CLVI. *lit.* f. (160) TESTIM. 17. 18. MON. LXXVI. CLVI. *lit.* g.

mulo literis tanta Senatus humanitatis, & benevolentiæ ſignificatione reſpondit, majorem ut filius ab amantiſſimo Parente nec expetere potuiſſet, nec expectare. (161) Quem ergo nunc in excelſo ſuſpicimus fortunarum, & honorum faſtigio locatum an non ſorte demum contentum ſua, & obfirmatum jam animo, ac planè beatum putemus? O fallaces hominum ſpes! O incerta prorſus, & inania conſilia! Præſentium munerum dignitatem, præmiorum amplitudinem, Principum gratiam, majeſtatem Urbis, & gloriam admirabatur ille, ut par erat, maximique faciebat; ſed optimam reminiſcens Senatorum, & Civium erga ſe voluntatem, & ſuaviſſimæ Conjugis, ſoboliſque chariſſimæ, quam Bononiæ reliquerat, deſiderium reſpiciens, ad priſtinam vitæ conſuetudinem cogitationes, & vota, non ſinè ſuſpiriis, & lacrymis, identidem referebat. (162) Res eò deducta eſt, ut ſe non tam ancipitem animi, & de novo vitæ genere vel ineundo, vel retinendo parum ſollicitum, quàm inſtituti veteris repetendi ſtudioſum, cupidumque præbuerit; neque ſolùm officia, quibus ad eum recuperandum utebatur Senatus, libenter audierit, ſed conditiones etiam acceperit multò, quàm antea, tenuiores. (163) Nam & actorum Præfectura, quam a diſceſſu ipſo dimiſerat, fuerat jam ad alium delata, (164) neque acceſſio ulla ad Lecturæ ſtipendium ab anguſtis ærarii finibus ſuppetebat. Itaque ſtipendio eodem, quod, priuſquam Romam proficiſceretur, meruerat, conſtituto ad humaniores literas denuo Bononiæ explicandas per quinquennium electus eſt, honorificentiſſimo ſanè decreto, (165) quod Romulo miſſum ſic illum erexit, & confirmavit, ut & gratias egerit, & omnino ſe rediturum, & officio perfuncturum promiſerit. Qua promiſſione facta nihil ambigi jam, nedum timeri, poſſe videbatur, quod Patrum deſiderium, & Civium expectationem infringeret. Verumtamen cum ſtudiorum initia jam jam appeterent, nec ab Ur-

(161) MONUM. LXXIX. (162) *Fortaſſe Symbolus Achillis Bocchi* (TESTIM. 4.) *eò ſpectabat, ut Romulum in deliberatione, quam ceperat, confirmaret.* (163) MON. LXXX. *ex quo permultis in Literis res tota planè perſpicitur.* (164) MON. XXXX. (165) MON. XXXXI. LXXX.

Urbe Romulus digrederetur, Senatus ſciſcitari ab illo, & magnopere petere quid tandem conſilii caperet, quidve eſſet, cur ibi tamdiù ſubſiſteret, ac moraretur; dein urgere, monere, etiam atque etiam hortari, reditum ne diutius differret ſuum, ſe in viam quantò citiùs traderet, iter acceleraret, ſibi denique, honeſtati ſuæ, ac fidei ſatisfaceret, quam niſi certò obligaſſet, tum Scholarium commodo, tum Gymnaſii neceſſitati fuiſſet enimvero & aliunde ſatis, & maturè conſultum. (166) At moram inter, & reditum, Pauli III. Pont. Max. auctoritas omnem ſuſtulit dubitationem, Bononienſium conſiliis votiſque obſtitit, & Amaſæo Romæ retento, quam is fidem dederat, liberavit. (167) Senſit tunc Romulus premi ſe neceſſario quodam cauſarum concurſu, & ſempiterno veluti divinitatis decreto parendum eſſe. Idem intellexit Senatus, cui tametſi inexpectata rerum converſio valde incommoda acciderit, ac permoleſta, nihil tamen antiquius fuit, quam ut juſſa Principis vereretur, ejuſque voluntati & ſua, & univerſæ Civitatis vota poſtponeret. Quin & ipſummet Romulum per literas hortatus eſt, erecto jam, & conſtanti animo eſſet, delata ſibi divinitus munera libens aggrederetur, ſeque non excuſatum modò, & inculpatum haberi, ſed lectiſſimos inter, clariſſimoſque Cives recognitum ſemper, & reputatum iri non dubitaret; (168) nullaque interpoſita mora Sebaſtianum Conradum elegit, & ad humaniores literas, quas Regio Lepidi profitebatur, Bononiæ tradendas advocavit. (169) Ipſe autem Romulus Senatus conſiliis, & amicorum monitis confirmatus poſt annum planè totum, quem in otio, in luctu, & ſquallore conſumpſerat, indicto tempore Sapientiæ Gymnaſium adiit, plenuſque bonæ ſpei ita præfatus eſt, ut neque perturbationem ſummam, & vitæ priſtinæ deſiderium, quo penè contabuerat, neque ſolatium, & quietem, quam ex novo vivendi genere capiebat, diſſimulaverit, & utriuſque rei rationes, & cauſas æquiſſimas afferens ab omni ſe levitatis, & imprudentiæ nota vindicaverit. (170) Pari alacritate, & diligentia Alexandro

(166) MONUM. LXXX. (167) MON. LXXXI. (168) MON. LXXXI. (169) MON. XXXXII. LXXXII. (170) *Inter* OP. ED. *Romuli vide Orationem decimamſeptimam ſub num.* 5.

dro Cardinali Farneſio ſe dedidit; neque dux tantummodo, moderatorque ſtudiorum, & officiorum adjutor, ſed itinerum comes, caſtrenſium, ac militarium laborum particeps fuit, (171) quos ille adhuc adoleſcens ad profligandos Lutheri ſectatores, delendamque hæreſim magno, & invicto animo ſuſtinebat. Sed hoſtibus nihil audentibus, ſuaque ſponte diſſolutis, expeditio illa brevi confecta eſt. Reliquo propterea cum comitatu, haud magno poſt intervallo, Romulus ad Urbem rediit, ibique apud Alexandrum reſedit, cui negotia inter, & literas tempus, & operam aſſiduè diſpertienti ſuam in utriſque fidem, ac diligentiam probavit; tum verò obſequentem in primis, gratumque animum palam fecit, cum elegantiſſimam illam e Græca in Latinam linguam Pauſaniæ verſionem ſacro illius nomine inſcriptam edidit, & in ea, quam libro præfecit, epiſtola excellens Cardinalis ingenium, optima ſtudia, admirandas virtutes ſummis extulit laudibus, ipſumque vitæ, ac fortunarum ſuarum patronum beneficentiſſimum appellavit. (172) Interea tamen, dum uberiorem in dies ſive doctrinæ & induſtriæ, ſive honorum & munerum fructum capiebat, mors accidit Violantillæ ſuæ, non inopinata illa quidem, neque verò minùs acerba, eaque, ætatem ſi ſpectes, adhuc immatura, ſi viri deſiderium, planè præpopera. Hanc ille integro ſemper, ſuavique amore complexus fuerat, neque tam corporis venuſtatem, & gratiam, quàm probitatem, prudentiam, liberalitatem, cæteraſque præclaras animi dotes coluerat. (173) Sed cum pectore diù laborantem, magnaque ſpirandi difficultate affectam identidem, & penè exanimatam videret, interitum ipſius haud longè abeſſe jamdudum præſenſerat. Annos nata non ampliùs quinquaginta quatuor Romæ deceſſit, (174) quò ſe bien-

(171) *Inter Opera prædicta vide Orationem decimamquintam ſub num.* 5. & TESTIM. 8. (172) *Inter Opera prædicta vide interpretationem Pauſaniæ Alexandro Cardinali Farneſio dicatam ſub num.* 2. *Ariſtides quoque a Romulo latinè verſus, non Ariſtoteles, ut Leander affirmat, &* Mazzuchellio creditur. *Vide inter* OP. INED. *Romuli num.* 12. (173) TEST. 8. MONUM. CI. *num.* 6. & MON. CXIV. CXVII. *lit.* f. CLVI. *lit.* l. (174) MON. CI. *num.* 6., & MON. CLVI. *lit.* l.

biennio ante a Viro accita contulerat. (175) Decorè elata eſt, & in D. Auguſtini templo, propter quod habitavit, ſepulta. (176) Quo ex loco chariſſimæ Conjugis oſſa Bononiam tranſferri, & ſuis aliquando cum oſſibus eo condi ſepulchro Romulus cogitabat, quod in ipſo ædium D. Franciſci proſpectu poſitum fuerat, eidemque Romulo ab Angelo Michaele Guaſtavillano Violantæ fratre donatum. (177) Ad animi perturbationem atque triſtitiam, quæ facie in ipſa apparebat, ſenſit enimvero Romulus quantum ex ea jactura rei domeſticæ acceſſerit detrimenti, cui nempe, ut par erat, adminiſtrandæ numquam ſe, vel ſatis idoneum, vel ſatis expertum præbuerat. (178) Si quod erat lenimentum doloris, id in ſtudiis literarum quærebat, & in literatorum hominum ſocietate reperiebat, quibuſcum interdum convenire, immo verò cœnare, per menſes ſingulos, de optimis diſciplinis nonnulla proponere, audire, diſputare conſueverat, Titum Pomponium Atticum æmulatus, apud quem, ſi Nepoti credimus, *nunquam ſine aliqua lectione cœnatum eſt, ut non minùs animo, quàm ventre Convivæ delectarentur*. Quo fortaſſe factum eſt, ut illum Fridericus Cardinalis Borromæus Academiæ cujuſdam conditorem, parentemque putaverit, quæ Julianos ad hortos poſtea migravit. (179) Quorum in aditu marmorea tabula etiamnum viſitur, in qua conſtitutiones quædam, ac leges antiqua illa, & aurea latinitate conſcriptæ ſunt, quam meritò admirantur omnes, & prædicant, pauci admodum vel imitantur, vel aſſequuntur. (180) Huic porro Academiæ alia deinceps non abſimilis Bononiæ inſtituta, celebriſque habita, quam non niſi nobiles, doctiqui Viri obtinebant, & Convivalem vocabant, propte-

(175) MONUM. CLVI. *lit.* h. i. (176) MON. CLVI. *lit.* m. (177) MON. CLVI. *lit.* m. o. *Ex quo* MON. *ſub lit.* o. *illud etiam apparet Romulum, mutato conſilio, poſteaquam Lit. Apoſt. ſcriptor a Julio III. electus fuit, ſepulchrum ſibi, & Uxori cum epigraphe (de qua in* MON. CI. *num.* 6.) *Suiſque condidiſſe in prædictis Ædibus D. Auguſtini, ſuaque ibidem oſſa cum Uxoris oſſibus humari mandaſſe. Nullum tamen ad hæc tempora (quantum a doctiſſimo Viro Fr. Franciſco Georgio Auguſtiniani Ordinis Procuratore Generali a nobis rogato accepimus) ſepulchri illius, & inſcriptionis veſtigium reperitur.* (178) *Vide inter* OP. ED. *Romuli ſub num* 10. *ejuſdem Epiſtolam datam Romæ* 11. *Julii* 1549. (179) TESTIM. 16. 21. (180) TEST. 16.

Digitized by Google

præterea quod *modestè epulabantur*, *solutoque convivio schedæ dividebantur inter eos*, *complexæ quæstiones elegantissimas*, *quas postea*, *ut cuique contigerat*, *disertè tractabant*, *magnusque ad audiendum concursus fiebat*. Nonnihil etiam recreatus est Romulus aliquantò post Uxoris obitum fœminæ nescio cujus aspectu, atque consuetudine, quam ficto Egeriæ nomine designabat. Hanc a se amatam fatetur, ut omnes intelligant amoris imperium ulli ætati non parcere, neque studiorum laboribus debilitari, neque prudentiæ viribus impediri. Brevis tamen fuit, ac propè ludicra affectio illa; honesta semper, & innocens recreatio. (181) Nihil verò Amasæi animum recreare magis, & confirmare debuerat, quam præsentis fortunæ bonitas, futuræ dignitas, atque amplitudo, quam insignia ipsius merita, Alexandri favor, & optima erga illum Pauli III. voluntas non obscurè pollicebantur. (182) At procellosæ illorum temporum vicissitudines expectatos honorum gradus retardarunt; mors verò Pontificis ipsam intercepit, ac fregit expectationem. In Exequiis novendialibus, quæ pro defuncto Pontifice celebrantur, ad Sacrum Cardinalium Collegium haberi solet Oratio, in qua virtutes, & benefacta ejusdem Pontificis recoluntur. Id muneris Romulo delatum est, quo profectò laudatorem non alium ipsemet Pontifex, si optionem, dum viveret, habuisset, vel disertum magis, vel magis acceptum nec expetere, nec eligere potuisset. Est enimvero Oratio illa gravis, & eloquens, sed adeo prolixa, ut vix credibile videatur totam, prout edita legitur, recitatam, tametsi suspicionem de integra recitatione non parvam inducant tum excusationes, quas Orator identidem de longitudine Orationis interserit, tum sæpiùs iteratæ preces pro venia, & attentione ab auditoribus comparanda. (183) Splendidissimas Pauli III., pulcherrimasque laudes complectitur, e quibus patria, ut opinor, charitate ductus non potuit Bononiensis Orator, quin ad honestam Bononiæ commendationem aliquantisper diverteret. Qua scilicet parte de Concilio egit è Vicetia traducendo, *aptissima*, inquit,

(181) *Vide inter prædicta* OP. ED. *Romuli num.* 10., & TESTIM. 21.
(182) TEST. 18. 21. MONUM. C. *lit.* h. (183) *Vide inter* OP. ED. *Romuli num.* 4.

Concilii ſedes viſa eſt Bononia, & quòd non longiùs, quàm quatriduo, abeſſet, & quòd omnem, quæ illuc convenisſet, multitudinem ſoli bonitate alere, & domorum laxitate facilè poſſet capere; hoſpitalior verò gentibus, ac nationibus Urbs profectò nulla; nam & optimorum ſtudiorum domicilium, & bonarum Artium altrix, & educatrix veluti quædam ab hinc mille ampliùs annos fuit; & quòd loci, quo ſita eſt, opportunitate nulla tam ſæpe Pont. Max., Regum, atque Imperatorum congreſſibus patuit, & auguſtiſſima eadem ſemper habita eſt ſanctiſſimorum fœderum ara. (184) Paulo III. Joannes e Monte Archiepiſcopus Sipontinus, aſſumpto Julii III. nomine, in Pontificatu ſucceſſit: is videlicèt Cardinalis, cujus benevolentiam, & gratiam jampridem Romulus, ut alibi diximus, obtinebat. (185) Quam ergo ſpem ditioris, nobilioriſque fortunæ Pauli ſuſtulerat obitus, Julii electio renovavit. Sic quæ prior ex Bloſii Palladii morte data eſt occaſio ornandæ virtutis, & augendarum Romuli facultatum, hanc Pontifex nactus eum ſibi a ſecretis adſcivit, Præſulem, ut ajunt, domeſticum nominavit, & ad ſcribendas Apoſtolicas literas in Palladii locum ſubſtituit. (186) Hanc dignitatem adeptus non fuit immemor Amaſæus Patriæ ſuæ, eaque de re Senatum Bononienſem certiorem fecit, qui de nova honoris acceſſione egregio civi, quem ſemper dilexerat, cuique, licet abſenti, numquam defuerat, (187) gratulatus, quid de optima ejuſdem voluntate ſentiret, ſibique, & Patriæ polliceretur, humaniſſimis literis declaravit. (188) Erat ille paulò jam ætate provectior, & oculis malè afficiebatur. Hinc ad ornamenta cætera id etiam commodi a Pont. Max. adjectum eſt, ut & docendi onere ſolveretur, & de ſtipendio, quod ei decretum fuerat, nihil detraheretur: (189) quorum alterum ad allevandam delati muneris difficultatem, alterum ad dignitatem ſuſtinendam pertinebat. Non attinet dicere, quàm accurati, quàm nitidi, quàm venuſti Scriptoris partes impleverit, quantaque eo in officio, ut ſemper in omnibus, fide, ſa-

ga-

(184) *Vide præcitatum num.* 4., & MONUM. XXXXIII. (185) *Vide ſuperiores Notas* 119. 120. 121. 122. 123. (186) TESTIM. 11. MON. C. *lit.* g. CLVI. *lit.* n. (187) MON. XXXXIV. LXXXIII. CLVII. (188) MON. LXXXIV. (189) MON. CLVI. *lit.* n. CLVIII.

gacitate, ſolertia ſe geſſerit. In quo ſi aliquantò diutiùs manſiſſet, fore videbatur, ut altiora petens propriæ ſimul dignitati conſuleret, & familiæ neceſſitatibus ſubveniret. (190) At quæ fluxa eſt, & infida rerum humanarum conditio, biennio nondum exacto, in violentam incidit febrim, brevique ſublatus pridie nonas Julias anni milleſimi quingenteſimi quinquageſimi ſecundi e vita diſceſſit. (191) Doluit enimvero Pontifex tanti Viri jacturam, & quem præclaris, dum viveret, beneficiis affecerat, mortuum proſequi, & cumulare non deſiit. Nam & illi in D. Auguſtini magna cum celebritate juſta perſolvi, & cadaver ſplendidè efferri, & eodem in loco, ubi Uxoris oſſa condita fuerant, ſepeliri mandavit, inſcriptione a Pompilio Parentis tumulo vel poſita, vel deſtinata. (192) Dein filios ſuperſtites miſeratus, & pietate verè paterna complexus, quò commodiùs æs alienum, quo premebantur, diſſolveretur, ſcuta eis ducentum in annos ſingulos ad quadriennium aſſignavit, datis ea de re Apoſtolicis Literis, quas qui legerit, plurima ſanè, eaque graviſſima de doctrina, ac virtute Romuli teſtimonia, vel a Mazzuchellio, vel a Liruto ſcriptoribus eruditiſſimis accuratè collecta, vel a me ipſo deſcripta, non multum deſideret. (193) Ipſam verò imaginem tum animi, tum corporis diligenter expreſſam quicumque noſſe, & ſuis velit prope oculis cernere, is deſcriptionem adeat a Pompilio factam, & inter alia, quæ in Appendicem congeſſimus, Monumenta relatam. (194) Ex alio verò Pompilii ſcripto, quod pariter integrum in Appendice ponimus, apparet Romulum Romana civitate donatum, (195) maximiſque Principibus Clementi VII., Paulo III., Julio III., Carolo V. Imperatori, Franciſco I. Galliarum, Ferdinando Romanorum, Sigiſmundo Poloniæ, Joanni Luſitaniæ Regibus in pretio fuiſſe, meritòque

(190) *Sanſovinus in Libro, cui Titulus* = Aggiunta al Supplemento delle Croniche = *Part. III. Lib. III. pag.* 122. *ſcribit futurum fuiſſe, ut Romulus inter Cardinales referretur, niſi fuiſſet morte præventus.* (191) TESTIM. 6. 21. MONUM. C. *Itt.* g., *ex quibus error Tuani deprehenditur, Konigii, Baillieti, P. Bergantini, & Papadopoli in tempore, quo Romulus obiit, deſignando.* (192) MON. CI. *num.* 8. (193) MON. CLX. (194) MON. CLVIIII. (195) MON. C. *Itt.* i. CI. *num.* 8.

chariſſimum; (196) & alia pleraque ſcitu nec inutilia, nec injucunda colliguntur, quæ ad Pompilium ipſum, (197) ejuſque Fratres Virginium, (198) Theophraſtum, (199) & Xenophontem (200) (quos ille non ingenio ſolùm, atque doctrina, verùm etiam officiis, ac honoribus anteceſſit) (201) & ad univerſam ſpectant Amaſæorum Familiam. (202) Quam etſi noſtris temporibus tum Utini, tum Bononiæ extinctam dolemus, vivit tamen Romuli nomen, & immortalium ſive ſcriptorum, ſive factorum ipſius memoria utraque in Urbe numquam delebitur; quarum altera quòd genuerit, & educarit, altera quòd a prima adoleſcentia recuperaverit, maximiſque muneribus, & beneficiis ornaverit, abſque ulla aut invidiæ, aut arrogantiæ nota, meritò gloriari poſſunt. Et elegantiſſima quidem Romuli Opera a clariſſimo Liruto tanta cum diligentia deſcripta ſunt, tanta cum dignitate laudata, ut qui poſtremus mihi labor in iis recenſendis, & celebrandis relinquebatur, planè irritus videri potuiſſet, niſi adnotationes quaſdam, & additiones ad eadem Opera, haud prorſus, ut opinor, inutiles protuliſſem. Illud denique eximiis Literarum cultoribus ſuaſum velim, & magnopere commendatum, ut quorum ex iis Operibus editiones, vel propter temporum vetuſtatem, ac negligentiam, vel propter exemplarium præſtantiam, & paucitatem, raræ admodum factæ ſunt, renoventur; quæ verò ſcripta nondum ſunt edita, e ſcriniis, in quibus latitant, educantur, & ad inſtaurandam latinæ linguæ puritatem, ad veteris eloquentiæ decus reſtituendum in lucem publicam emittantur.

ELEN-

(196) MONUM. C. *lit.* p. CLVIIII. (197) MON. C. *lit.* q. (198) MON. C. *lit.* k. Cl. *num.* 10. (199) MON. LXXXXVI. C. *lit.* k. Cl. *num.* 9. (200) MON. C. *lit.* k. (201) *Vide Notam* 64. (202) MON. C. *lit.* m. n. o.

ELENCHUS
OPERUM ROMULI AMASÆI
TUM EDITORUM, TUM INEDITORUM

Cum nonnullis Adnotationibus.

OPERA EDITA.

Num. 1. PANEGYRICUS SERMO SPECTATISSIMO GEORGIO SAVROMANO BONONIENSIS GYMNASIARCHATUS SUSCIPIENTI INSIGNIA PRO SCHOLASTICO CONVENTU A ROMULO AMASÆO FOROJULIENSI DICTUS. IMPRESSIT BENEDICTUS BIBLIOPOLA BONONIENSIS 1513. in 4. *Hujus Orationis meminit ipsemet Romulus in epistola sub die 19. Junii 1513. ad Gregorium Parentem suum Utinum missa, & inter alias mss. Epistolas Bibliothecæ Ambrosianæ reperta, & nunc primùm edita in Appendice Monumentorum.*

Num. 2. XENOPHONTIS DE CYRI MINORIS EXPEDITIONE LIBRI VII. ROMULUS AMASÆUS VERTIT. BONONIÆ TYPIS JOANNIS BAPTISTÆ PHAELI PRID. NON. MART. 1523. in fol.

Cautum Clementis VII. Pont. Max., & Caroli V. Cæsaris Imperat. Augustiss. Diplomatibus, ne quis librum hunce intra quinquennium imprimat, aut alibi impressum vendat.

Huic versioni præfixa est Epistola Romuli ad Ludovicum Avylam Caroli V. Cæsaris Imperatoris intimum Cubicularium data. In hac epistola memoratu digna sunt, quæ sequuntur: Verùm cum de multis, quæ inchoata dumtaxat, atque informata habeo, unum aliquid cuperem deligere, quod & ad meum erga te studium testificandum esset appositum, & tibi aptum, ac jucundum contingeret, optatissimus tuus a Turcico bello cum Cæsare (quem majestatis causâ nomino) Bononiam reditus facilè omnem ejus delectus mei dubitationem sustulit . . . . .

Ac statim e Bibliothecæ meæ latebris, in quibus annos ampliùs XII. rudes, & informes penè contabuerant (*Libri prædicti*), eductos, ut in tuo nomine apparerent, in lucem non magis emisi, quàm extrusi. Ego verò cum quamdiù esset hic Cæsar commoraturus incertum omnino esset, malui festinata expolitione in obsequendo, studium, & fidem, quàm emendationis maturitate curam, & exactam quamdam diligentiam tibi meam probare . . . . . .

Jam verò qui meliùs potuisse dicant, hi ut eadem, qua ipse, cum eos verti, fui ætate, a se aliquid meliùs conversum, ac non majore otio, vel laxiore tempore climatum ostendant, vehementer cupio . . . . . .

Primum erit quædam, ac maximè germana similitudo illius Græcorum expeditionis cum hac, quæ nuper Caroli Cæsaris magnitudinem, & felicitatem immortalitati consecravit.

Num. 3. PAUSANIÆ DESCRIPTIO GRÆCIÆ ROMULO AMASÆO INTERPRETE; ROMÆ 1547. in 4. *Primam hanc editionem, quam aliæ complures posteà secutæ sunt, Camillus Palæotus, & Franciscus Bolognettus Bononiæ Senatores una cum Pompilio Romuli filio curarunt, ut ex epistola apparet ejusdem Pompilii ad Alexandrum Cardinalem Farnesium, quæ Orationi præfixa est a Romulo habita in Funere Pauli III., & ab ipsomet Pompilio edita ibi*: Tum verò Camillum Palæotum, & Franciscum Bolognettum Bononiæ Senatores, ambos eximia probitate, morum elegantia, & eruditione insignes, qui etiam olim una mecum a Romulo Patre Pausaniam edendi sibi munus depoposcerunt, imprimendumque curarunt. *Hæc Pausaniæ interpretatio Cardinali Alexandro Farnesio Pauli III. Nepoti a Romulo inscripta est, & in epistola Romæ data Id. Mart. 1547. potissima Operis Pausaniæ capita recoluntur, veteris eum nova Græcia comparatio instituitur, Cardinalis, & Pauli III. laudes amplissimæ celebrantur, & sequentia præterea memoratu digna leguntur.* =

Quod si per xv. superiores proximos hujus Pontificatus annos tanta frui potuimus felicitate inter graves, & pernicioſos magnorum Imperiorum motus, eumdem hunc Pont. Max. si nobis tot in posterum tempus, quot sperare possumus, & optare debemus, Deus servarit annos, dubitandum nihil profectò fuerit, quin divino ejus consilio pace terra, marique parta universa Christiana Respublica omnem omnium, quæ literarum monimentis prodita fuerint, temporum sit gloriam superatura. Tu verò interea, Alexander, vitæ, ac fortunarum mearum patrone, non desines optimis quibusque, & doctissimis Viris domesticis, atque intimis familiaribus tuis tuendis, & ornandis præclara heroicæ indolis, & virtutis tuæ documenta dare, atque iis sociis, atque adiutoribus successivi temporis aliquid e summis occupationibus, & gravissimis curis ereptum in ea studia conferre, quibus a puero deditus fuisti. In pervolutandis certè Pausaniæ libris e Græci hominis facundia, & eruditione non mediocrem tum fructum, tum voluptatem capies. Conversos verò illos a me ut fortasse non satis feliciter judices, conatum tamen hunc meum referendi tibi gratiam, cum pro tuis erga me meritis, tum verò maximè pro mirifico quodam, & maximè perspicuo de me quam optimè merendi studio a te non improbatum omninò iri & spero, & majorem in modum cupio. =

Romanam hanc editionem complures aliæ, uti diximus, secutæ sunt. Præ aliis illa, cui titulus: Pausaniæ: Græciæ descriptio accurata cum latina Romuli Amasæi interpretatione: Accesserunt GUL. XYLANDRI, & FRID. SYLBURGII annotationes, ac novæ notæ JOACHIMI KUHNII. Lipsiæ 1696.

In hac editione præclara FRIDERICI SYLBURGII *testimonia leguntur, quæ sunt hujusmodi; ac primum ex ipsius epistola ad* HULDERICUM FUGGERUM *data sexto Non. Maji* 1583. *ibi* = Sed omnium uberrimam mihi materiam subministrabat doctissima Romuli Amasæi summi Viri interpretatio. Eam enim cum Græco textu conferre cum aggressus essem eo consilio, ut si quæ in versionem irrepsissent vitia, ea Græci cod cis ad-

Num. 3. adminiculo inde tollerentur, comperi quamplurimis in locis non tam Græcum Latino, quàm Latinum Græco mutuam sanctionis operam præstare. Unde conjicio Amasæum in sua versione propter sagacissimum judicii acumen manu scriptos etiam codices impressis emendatiores ad manus habuisse. =

Tum ex alia ejusdem SYLBURGII *ad eumdem* FUGGERUM *epistola data Idib. Aug.* 1583. *ibi* =

Quod ut præstetur cumulatius, deligendam esse versionem, quæ unanimi Doctorum consensu quammaximè sit approbata, Romuli Amasæi . . . . . .

Idemque, ut olim a nobilissimo Scriptore stylo fermè aureo sunt conscripti, ita nostris temporibus a peritissimo utriusque linguæ Viro Romulo Amasæo felicissimè in linguam latinam conversi, adeo ut Græcia retento habitu Græcanio, linguæ tantùm ornamentis commutatis, pari verborum fide, perspicuitate, puritate, atque elegantia res suas nunc in latino, atque antea in Græco, proscennio denarret . . . . . cui, (*ideſt* JOANNI JACOBO FUGGERO) cum ABRAHAMUS LESCHERUS Vir doctissimus Pausaniam a se interpretatum dedicaret, fateri non erubuit idem LESCHERUS, si Amasæi versio (de qua inaudierat) ante suam in lucem prodiisset, se interpretationis palmam libenter ei cessurum fuisse. Nam quantum Amasæus & ingenio valuerit, & in hoc studii genere potuerit, satis indicare Xenophontis anabasin, cujus libros tanta perspicuitate, & elegantia in Latinum converterit, ut Græcosne legere malis, an Latinos, judicare ferè non possis.

Ex latinis carminibus JOANNIS BAPTISTÆ PIGNÆ *editis apud Jolitum Venetiis* 1551. *in Ode posita sub pag.* 27. *de hujusmodi versionibus hæc habentur* =

Quid propria virtute clarum
Hunc fidibus referam sonoris?
Erexit Urbem Romulus Attica
Præstantiorem Viribus Imperj;
Hic scripta Græcorum Latinæ
Reddidit inferiora linguæ.

Utriusque pariter versionis cum laude meminit LILIUS GREGORIUS GIRALDUS *in secundo Dialogo de Poetis Lugduni Batavorum* 1696. *ibi* = Vivunt & hodie duo Amasæi, Romulus, & Pompilius, Pater, & Filius, Viri utriusque linguæ peritissimi, ambo bonarum literarum Professores, genere quidem Foroiulienses, qui Bononiæ tamen diutiùs versati, & functi honoribus Bononienses Cives habentur. Pater e Græco in latinum vertit Xenophontis historiam de Cyri descensu, & Pausaniam; Filius de forma Reipublicæ veterum Romanorum ex Polybio.

Neque tamen dissimulabo PETRUM DANIELEM HUETIUM in lib. de Claris Interpretibus Parisiis edito 1680. *de utriusque Amasæi interpretationibus paulo secus judicasse, præsertim quod earumdem integritatem spectat, & fidem, ibi*: Elegantes, & cauti Romulus, & Pompilius Amasæi, si remotis Archetypis interpretationibus acquiescas, quæ si ex adverso contenderis, utrumque, sed Romulum præsertim, concitâ dilatasse,

Num. 3. obſcura illuſtraſſe, diffuſa contraxiſſe, & ubique facundiæ laudi veſtificatum fuiſſe reperies; ea verò uſum cautione Pompilium, ut obſcura quæque non attingeret, lectorem tantummodo monuiſſe, eorum ab aliis interpretationem peti poſſe.

Huic HUETII *judicio* BAILLIETUS, *aliique adhæſerunt; ſed luculentiſſima, quæ antea protulimus, teſtimonia, & crebra, atque illuſtres, quæ Romulearum Verſionum poſtmodum prodierunt, editiones, ſatis, ut arbitror, Romuli diligentiam, & famam tuentur.*

Num. 4. ROMULI AMASÆI ORATIO HABITA IN FUNERE PAULI III. PONT. MAX. IMPRESSA BONONIÆ IN OFFICINA JOANNIS RUBEI 1563.

Oratio hæc recitata eſt anno 1549. *in Exequiis Novendialibus ad Sacrum Cardinalium Collegium in Baſilica D. Petri de more congregatum; edita autem, uti diximus, Bononiæ anno* 1563., *& Alexandro Cardinali Farneſio a Pompilio dicata: Ex ipſo editionis tempore, necnon ab epiſtola Pompilii dedicatoria Orationem hanc ante alias typis vulgatam diſcimus; nam aliæ octodecim ſimul collectæ non niſi ſequenti anno* 1564. *prodierunt, Petro Donato Cæſio Narnienſi Epiſcopo, & Bononiæ Gubernatori ab eodem Pompilio inſcriptæ. Ex epiſtola tamen ipſius Romuli in mſſ. Codice, de quo infra, qui in Bibliotheca Inſtituti Bononienſis ſervatur, intelligimus dena exemplaria Orationis de pace anno* 1530. *e prælo emiſſa fuiſſe.*

In hac Oratione habita in Funere Pauli III. memoratu digna ſunt, quæ ſequuntur, & ipſis Romuli verbis indicantur: Ego verò, cui vos nominatim (*Cardinales appellat*) hoc munus detuliſtis.

Suaviſſimis, quibus me, quoties ad te veniebam, cum certiſſima tua erga me voluntatis teſtificatione, verbis alloquebare, (*de Paulo loquitur.*)

Quod mihi præter opinionem meam impoſitum eſt onus, non poſſum ſine impia quodammodo oblivionis nota Petrum Farneſium Ancaranium cognomento ciacum, illum quidem in diverſo genere laudis, & ſumma nominis celebritate Virum prætermittere, qui cum luculentas ſibi fortunas ex Juris Civilis interpretatione comparaſſet, domum, & prædia Bononiæ reliquit, unde Ingeratæ juventutis Collegium, quod ex ipſius teſtamento ad Farneſiæ gentis tutelam pertinet, alitur.

Epilogum conficit meritorum omnium, quæ ſuè de Paulo expoſuerat, antequam is Pontificatum Maximum obtineret.

Quamdiu, & Bononiæ, & Patavii fuerunt, quò ſtudiorum eos (*ideſt Nepotes*) cauſa dimiſerat.

Nova igitur fuit Concilio Sedes deligenda (*e Vicetia enim illud alio traducere oportuit.*) Aptiſſima vifa eſt Bononia &c.

Hæc Oratio eloquens ſanè, & dignitatis, & eloquentiæ pleniſſima; ſed ita prolixa, ut vix credibile videatur totam coram Sacro Cardinalium Collegio recitatam fuiſſe. Attamen excuſationes, quas identidem Orator interſerit, de Orationis longitudine, ſæpinſque iteratæ preces pro venia, & attentione ab Auditoribus comparanda ſuſpicionem de integra recitatione non parvam inducunt. Profectò ſi tota recitata eſt Oratio, non minus quam duarum horarum ſpatium exhauſit.

Ex

Num. 4. *Ex epiſtola Pompilii, quæ Orationi præfixa eſt, hæc habentur, quæ merito exſcribantur.*

Subiit vero mentem Patris conſilium de Oratione quamprimum publicanda, quam in Pauli III. Pont. Max. funere habuerat, poſteaque (ut perpetuò piè, ſanctèque illius præclariſſimi Pontificis memoriam colebat, ſedulòque ſuam ſibi gratiam demereri ſtudebat) ſumma diligentia expolierat. Quod cum præveniens mors irritum reddidiſſet, id me ſuperſtitem jam exequi, ac nihil mihi antiquius eſſe debere cenſui, quàm ut Oratio, ſimul atque hæc perficiendi facultas oblata eſſet, tui perilluſtris nominis munita, protectaque auctoritate appareret. Atque ad id quidem, poſteaquam conſilium cum illis meum communicavi, laudationemque inſpiciendi copiam eis feci, aſſiduos hortatores habui ampliſſimos homines, eoſdemque clientes tuos Antonium Ælium, Michaelem Turrium, Antonium Bernardum, Joannem Antonium Fachinettum, Thomam Lilium, quos omnes Pontificii honoris, vitæ integritate, præſtantiſque doctrinæ cauſa nomino, cumque ipſis Joannem Angelum Papium clariſſimum, celeberrimæque per omnem Europam famæ legum interpretem, quem verè Oratorum juris peritiſſimum, juris autem Peritorum eloquentiſſimum noſtra hæc ætas appellavit.

Hujus Orationis meminit ANGELUS CARDINALIS QUIRINUS, *& fragmenta quædam protulit in Appendice libri ab ipſo Brixiæ emiſſi de geſtis Pauli III.*

Num. 5. ROMULI AMASÆI ORATIONUM VOLUMEN. IMPRESSIT BONONIÆ JOANNES RUBRIUS 1561. *Volumen hocce Pompilii cura impreſſum, & ab eo Petro Donato Cæſio Narnienſi Epiſcopo, & Bononiæ Gubernatori dicatum eſt.* OCTODECIM ORATIONES *complectitur, quarum argumenta paucis deſcribimus, nonnulla adjicientes, quæ notatu digna, & ad illuſtrandam Romuli memoriam ducimus opportuna.*

PRIMA EST DE CONCORDIA. *Hanc a Romulo ſcriptam, non recitatam, ſed ab eo ad ſummum Pont. Adrianum VI. miſſam fuiſſe veriſimile eſt. Multis verbis ſuam hanc apud Pontificem libertatem, &, ut ipſe vocat, audaciam excuſat, eumque ad concilianlam inter Chriſtianos Principes concordiam hortatur, & rogat. Poſt Adriani ab Hiſpania in Urbem adventum ſcripta deprehenditur, aut labente ſcilicet anno 1522., aut ineunte 1523., quorum altero Adrianus Pontifex renunciatus eſt, altero deceſſit.*

SECUNDA EST DE PACE. *Juſſu Clementis VII. a Romulo habita eſt, quantum ex ipſius Romuli epiſtola ad Joannem Baptiſtam Egnatium data colligitur. Recitata eſt Cal. Jan. anni* 1530. in palatina Urbis Cella (*ſic habet Romulus in oſtava Oratione, de qua infra, pag.* 202.) poſt apparatiſſimam ſupplicationem, magna ſummorum Sacerdotum, Principum, & Legatorum frequentia, eodemque Pontifice unà cum Cæſare (*Carolo V.*) divinis cæremoniis, hymnis, cantibus, precationibus præſidente. *De hac Oratione ita ſcribit Pompilius in epiſtola nuncupatoria ad Petrum Donatum Cæſium Bononiæ Gubernatorem.*

Secunda de Pace Bononiæ habita frequentiſſimo ſummorum Chriſtianæ Reipublicæ Principum conſeſſu in Pontificio delubro, quod jam cura, juſſuque tuo Proſperi Fonteii præſtantiſſimi ætatis

Num. 5. tis noſtræ Artificis pictura exornatum, & undequaque perfectum, & expolitum inter magnificentiſſima quæque id genus opera meritò receuſeri poſſit.

TERTIA, ET QUARTA, *quæ a Romulo* SCHOLÆ *appellantur*, DE LATINÆ LINGUÆ USU RETINENDO *fuse differunt. Habitæ videntur uno, & altero ſequenti die pro inauguratione ſtudiorum anno* 1529., *ſeque ſuperiore proximo triennio pariter præfatum eſſe commemorat. In prima Schola, quæ tertiæ Orationi reſpondet, ſe veritatis ſtudio pro Latina lingua contra Hetruſcam ſcribere profitetur pag.* 104. *ibi* = De qua quidem hominum opinione (*quæ ſcilicet Hetruſcam Latinæ linguæ præferebat*) dum paucis, non magis in annuum munus meum proludendi, quàm veritatem tuendi cauſa diſſero . . . .

QUINTA, ET SEXTA, *quæ pariter* SCHOLÆ *dicuntur, & duobus conſequentibus diebus habitæ ſunt, agunt* DE RATIONE, ET ORDINE STUDIORUM. *Se viceſimum publici muneris annum iniiſſe teſtatur Romulus, & ab anno ætatis undeviceſimo omne ſuum tempus cum Patavii, tum Bononiæ in Græca Latinaque linguæ Auctoribus publicè interpretandis conſumpſiſſe. Addit viceſimum hunc ſui muneris annum, quinquennalis, quod ei cum Senatu Bononienſi interceſſerit, ſacramenti poſtremum eſſe. Illud quoque accidere poſſe dubitat, ut nimirum ab Academia Bononienſi caſu aliquo abſtractus ſit.*

SEPTIMA ORATIO *eſt* DE PERENNI ELOQUENTIÆ USU. *In hac Oratione methodum, quam in erudiendis ad eloquentiam Adoleſcentibus tenuit, Romulus pag.* 189. *indicat in hunc modum* = Atque ego quidem jam per multos annos eos Adoleſcentes, quos ingenio, & diſcendi ſtudio præſtare animadverti, per eos gradus ad eloquentiæ laudem deducendos putavi, ut primùm illos, quos benè dicendi Autores haberent, pro judicii mei facultate proponerem; deindè ut ad Artis etiam penetralia aditum patefacerem; poſtremò cum ab exercitatione omnis ſit cuiuſvis Operis perfectio, in hac quoque parte numquam operam, curam, laboremque meum deſideratum eſſe ii ſcilicet noverunt, qui mecum conjunctiùs vixerunt. *Tres Ciceronis de Oratore Libros ad tradendam eloquentiæ Artem maximè commendat.* Hac, *inquit pag.* 190., Ciceronis via nihil planius, dilucidius, explicatu uberius, nihil mollius, nihil amœnius, gravius, nihil bene, ac liberaliter educto, atque educato ingenio aptius.

OCTAVA ORATIO PRO SE IPSO BONONIÆ HABITA *eſt. Per triennium totum cum Scholarum exercitationibus præclarè actum eſſe gratulatur. Duplici ſe munere ornatum memorat, publicorum ſcilicet Actorum Præfectura, & Scholarium in Humanioribus Literis inſtitutione; poſſe verò utrumque munus ſimul obiri multis contendit rationibus, plurimiſque exemplis confirmat, noſtriſque præſertim Philippi Beroaldi, Camilli Palæotti, & Philippi Faſianini; nec poſſe tantùm, verùm etiam debere*, quod certè, *inquit ille pag.* 219., & mea ſponte facio, & Civitatis principum monitis, & imperio. Illi enim, cum mihi Actorum ſuorum præfecturam committerent, Senatus etiam Conſulto cautum voluerunt, ne id Gymnaſio detrimento eſſet; ac me ita juſſerunt utrique muneri præeſſe, ut hoc neceſſarium, illud honora-

Num. 5. rarium, & huic illud ornamento, non impedimento esse voluerint. *Suam præterea diligentiam, & sollicitudinem pro comparanda omnis generis eruditione, atque doctrina profitetur pag. 211. ibi* = Ac primùm bonam, & magnam ætatis meæ partem ita in cognitionis studiis consumpsi, ut nullum ingenuarum Artium, ac liberalium disciplinarum genus mihi attingendum, ac degustandum non putarim.

IN NONA ORATIONE DUORUM AMICORUM, *quos Alumnos etiam suos, & Auditores appellat*, OBITUM DEPLORAT, *eorumque præclara ingenia, singularem ductrinam, & eximias virtutes commendat (sunt hi Faustinus Mutinensis, & Garisendus Bononiensis). Acta est anno jam altero supra vicesimum ab inito docendi munere post æstivas studiorum intermissiones.*

DECIMÆ *titulus est* = DE SPERANDA PAULI III. PONT. MAX. ERGA LITERATOS HOMINES BENEFICENTIA. *Habita est post acceptum de electione hujusce Pontificis nuncium, quæ in solemnia incidit studiorum initia. Trium ipsius Neporum ingenia, & mores collaudat, quos tum Bononiæ liberalissimè educatos, & ab optimis atque eruditissimis Præceptoribus institutos narrat, & ex eò ipso magna ad benè de Pauli beneficentia sperandum argumenta depromit.*

Nepotes erant Alexander, & Octavius ex Petro Aloysio Farnesio geniti filio naturali Pauli III. Alexander Cardinalis creatus, cum annum ageret decimumquintum. Octavius Margaritam duxit Austriæ, Caroli V. filiam naturalem, & Alexandri Medicei Hetruriæ Ducis Viduam, annum agens decimum quintum. Alter pariter Nepos Bononiæ versabatur, scilicet Guido Ascanius Sfortia, quem pariter Paulus III. Cardinalem creavit.

UNDECIMA STUDIA HUMANITATIS *commendat*, & DUODECIMA AD ELOQUENTIÆ STUDIUM AUDITORES HORTATUR. *Nihil in utraque, quod ad Romuli Vitam, & acta pertineat, notatu dignum reperitur.*

In DECIMATERTIA TARDIORIS EXORDII SUI CAUSAM EXPONIT, *publicorum scilicet negotiorum impedimenta: ad quod Vitæ genus se animum, & cogitationem tum maximè convertisse fatetur pag. 277.*, cum animadvertit interiores literas, & nostratia, quæ Humanitatis appellantur, studia, minus jam multos esse, qui colerent; neque eos ipsos, qui humanius, ac liberalius literarum genus consectarentur, satis esse in hoc studiorum, quem semel essent ingressi, cursu retinendo constantes.

DECIMA QUARTA ORATIO *hunc titulum habet* = ORATIO, QUA GREGORII PATRIS OBITUM DEPLORAT = *Verè autem non in hoc solùm, & præcipuè versatur, sed multiplices, & acerbos, qui in ipsius fortunam, ac valetudinem casus per aliquot menses incurrerunt, enumerat, quibus factum est, ut ad renovanda studia præter consuetudinem minus & alacer, & paratus accesserit. Hosce verò casus, prout ille describit pag. 287., nos propriis ipsius verbis in ejus Vita describimus.*

DE

Num. 5. DE TRADUCENDA ÆTATE IN OPTIMARUM ARTIUM STUDIIS DECIMA QUINTA ORATIO *disserit. Hanc adventante senectute habuit Romulus, cum jam ab ineunte adolescentia tricesimum quintum annum in publico prælegendi munere exegerit. Octo ante annos in interpretando M. T. C. Lælio, seu De Amicitia versatum se innuit, & ejusdem Ciceronis librum De Senectute sumit interpretandum. In hac Oratione castrenses, & militares labores ab eo paucis ante mensibus susceptos commemorat pag.* 292. *ibi* = Idem tamen, inquam, ego, qui ab hinc paucos menses tam fui firmo, & valenti corpore, tam intracto, & inconcusso animo, ut nulla me vel itinerum incommoda, vel castrensium, & militarium laborum, vel casuum pericula frangere potuerint. . . . .

DECIMA SEXTA ORATIO EXORDII SUI TARDITATEM EXCUSAT. *Hanc habuit post triginta ipsos annos in assidua, & quotidiana Scholarum exercitatione. Pont. Max. accersitu Romam excurrisse, & vacationem ab eo munere, & novum Vitæ genus ingravescenti ætati, & debilitatæ valetudini magis accommodatum spectasse, & moto, ut ajunt, omni lapide procurasse fatetur. Confectam jam prope rem fuisse ex animi sententia asserit; se vero subitis temporum casibus de statu vitæ optatissimo deturbatum ad veterem docendi consuetudinem rediisse.*

DECIMA SEPTIMA ORATIO PRO SE IPSO ROMÆ EST HABITA. *Se a Paulo III. Pont. Max., & ab Alexandro Farnesio ad Urbem evocatum narrat, ut Romanam juventutem literis, cui Camillus Perusæus vir humanissimus, & literatissimus præerat, institueret, & expoliret, sibique honestissimum locum inter doctissimos homines tributum, quos domi suæ Alexander alebat, & liberaliter complectebatur. Circa finem ejusdem Orationis addit se quater, & amplius a duobus Pontificibus Max. Romam accersitum fuisse, quasi suum divinitus Urbi nomen deditum fuerit, ac destinatum. Quoniam verò sub ipsum Orationis exordium omnem præteritæ vitæ rationem describit, totam hanc Orationis partem propriis ipsius verbis planè exscribendam puto, quæ sunt hujusmodi.* =

Utinæ ego, Auditores, natus sum, nobili tanè in Foro Julii, ut nunc res sunt, loco, secundum veterem Aquileiam, celebri Urbe, & copiosa, atque optimis ingeniis; & ad liberalissima quæque studia natis, & aptis affluenti; Bononia verò jam indè ab Atavis oriundus. Patavii, & Venetiis sub Gregorii Patris, ac Hieronymi Patrui mei optimorum, & eruditissimorum hominum disciplina educatus. Bellorum deindè, quibus tunc universa ardebat Italia, procella veluti quædam Bononiam me tunc primùm pubescentem ejecit. In ea Civitate Æmiliæ, ac Flaminiæ principe multò amplissima, & florentissima peradolescens e patricia, & antiqua Guastavillanorum familia Uxorem duxi, per quam mihi præ nobiles affinium, & propinquorum sunt conciliatæ necessitudines; quæque me liberûm minimè pœnitenda sobole auxit, e quibus filiæ partim cum Viris neque novis, neque ordinariis matrimonii causa sunt; partim verò in sacrosanctum Virginum cooptatæ collegium, assiduè pura, integra, & incorrupta mente præpotentem Deum, Deique Filium Deum, & Hominem, optatissimum sponsum, ac dominum suum agnoscunt, & venerantur.

Num. 5. tur. In hac ego Civitate cum tantum jam eſſem perpetuis laboribus, ac vigiliis conſecutus, ut quanti fierem cum a Civibus, tum ab Exteris, qui illuc diſcendi cauſa convenerant, me mihil omnino pœniteret, a Senatu Veneto per graviſſimum, & ornatiſſimum S. C. ſum Patavium evocatus. In eo literatorum hominum conventu, qui tunc maximè & Juvenum nobilium frequentia, & Doctorum præſtantia efflorescebat, cum jam celebrari nomen meum cœptum eſſet, a Clemente VII. Pont. Max., Venetis Patribus ejus poſtulationi non ſatis medius fidius libenter aſſentientibus, Bononiam primùm ſum revocatus, ac bis deinde Romam accerſitus. Armorum tunc impetu, & furore agebantur, ac rapiebantur omnia. Non fuit igitur mihi Bononienſis ille portus, in quo magnis hominum ſtudiis retinebar, relinquendus, neque in medios turbulentiſſimarum tempeſtatum fluctus irruendum. Domicilium itaque Bononiæ conſtitui; neque ita multò poſt ea omnia ſum adeptus, quæ loci, ordiniſque mei homini ſummè expetenda videbantur. Neque enim ullus omnino fuit vel ordinarius, vel extraordinarius ejus Civitatis honor, nulla vel virtutis, vel meritorum commoda, aut ornamenta, quæ ad me, Diis, hominibuſque approbantibus, Senatus ille longè ampliſſimus, atque ornatiſſimus non ultrò, non libentiſſimis animis detulerit; mihi poſtliminio Civitatis jura omnia reſtituta, mecum ſummi Magiſtratus, & Judicia communicata; mihi poſtremò, quod ante me nemini, qui ſuo, patrio, & avito ortu civis non eſſet, perpetua tabularii, & publicorum Actorum Præfectura, qua, cum huc veni, annos jam quatuordecim ſecundiſſima fama functus fueram, decreta.

In DECIMA OCTAVA ORATIONE (*cui titulus*: QUA DIVINUM AUXILIUM IMPLORAT) *ſe* triginta ſeptem, & ampliùs annos in publicis negotiis, & in Scholarum muneribus exegiſſe, & emerita jam ſtipendia, & ceſſationem liberam, atque otioſam ſperare *profitetur*; qua verò poſſit mentis, & oculorum acie, qua memoriæ, qua laterum, & vocis firmitate, ſe adhuc, dum ſibi licitum ſit, ſtudiis, & lectionibus operam daturum; quotidie tamen aliquid de priſtinis contentionibus relaxaturum, Scholaribus non remiſſiones modo, ſed intermiſſiones, ſi uſu evenerit, etiam ſuas, boni conſulentibus; cumque ſuperius omne ſuum tempus iis maximi, & eloquentiſsimi Viri (*M. T. C.*) libris prælegendis tranſmiſerit, quibus ille nobis aptè, diſtinctè, ornatèque dicendi partim præcepta, partim verò exempla reliquit, vel graviſsima ſivè cognitionis, ſivè actionis præcepta pertractavit diſertiſsimè, & jam ſoli e ſuperiore loco explicandi reſtarent, quos ſummo ingenio, exquiſitaque doctrina de Natura Deorum, de Divinatione, de Fato conſcripſit, in his reliquum Vitæ tempus, & operam conſumpturum *Romulus pollicetur*.

Num. 6. IN COLLECTIONE EPISTOL. CLAR. VIR. VENETIIS EDITA ANNO 1568. *poſt Joannis Baptiſtæ Egnatii epiſtolam* (*pag.* 141.) *ad Romulum latam Venetiis Cal. Jan.* 1530. *extat* (*ſub pag.* 143.) RESPONSIO LATINA IPSIUSMET ROMULI. *Suum Egnatius in ea epiſtola erga Romulum amorem teſtatur, Lazarumque* (*puto Bonamicum*) *rogaſſe ait, ut ipſius Egnatii nomine cum Romulo liberius agat* (*forte, ut querelas deferat,*

Num. 6. *ferat, propterea quia ad tam amplam, & magnificam latitiam non fuerit invitatus, qua nimirum solemnis Clementis VII. Pont. Max. & Caroli V. Bononiam adventus innuitur, ut ex Romuli responso clarius apparet. Thilesii locum offert, qui nempe Veneti Senatus Scribas humanioribus litteris erudiebat, constitutis pro Lectura stipendio centenis quinquagenis annuis (Thilesius centena dumtaxat meruit) cum onere pomeridianis duabus horis ad summum prælegendi. Procuratores denique Veneti Cleri commendat.*

RESPONSIO AUTEM ROMULI DATA EST BONONIA X. CAL. FEB. 1530. *In ea suæ erga Egnatium benevolentiæ constantiam, & perpetuitatem declarat; invitatione opus non fuisse demonstrat; literarum raritatem excusat; Thilesianam conditionem renuit, seque cumulatissimè a Bononiensi Senatu ornatum, & honestatum fatetur, cui annum ab hinc fere tertium in quinquennium operam locaverat suam, sibique constitutos ait aureos coronatos CCC. & esse eum Auditoribus negotium per temporum intervalla horis singulis non plusquam nonagies toto anno. Quam quidem conditionem sibi nunquam defuturam, & augendam potius confidit propter optimorum Civium voluntatem, summorum hominum Studia & Clementis Pont. Max., & Cæsaris gratiam. A Procuratoribus Cleri redditas fuisse per ignotum hominem Egnatii literas refert; ipsos verò Procuratores Romulum non convenisse, nec ejus Operam postulasse, quam propter Egnatii commendationem sedulo præstitisset. Denique responsionis tarditatem plane necessariam fuisse ostendit, quòd Orationis de Pace meditatio ipsum dies aliquot detinuerit, quæ a Pont. Max. eidem decreta fuerat, & habita est Cal. ipsis Jan. eodem Pont., & Cæsare Sacris præsidente . . . . . Sub ipso hujus responsionis initio Egnatii epistola data dicitur x. Cal. Jan.; Epistola verò ipsa præfert Cal. Jan. In alterutram ex epistolis irrepsit error, qui in alia pariter extat epistolarum selectarum Collectione Venetiis edita 1556.*

Num. 7. IN EADEM COLLECTIONE 1568. *sub pag.* 110. ALIA EPISTOLA *legitur* ROMULI AMASÆI BONONIA DATA IX. KAL. NOV. 1541. AD GULIELMUM PELLICERIUM CHRISTIANISSIMI REGIS APUD VENETOS LEGATUM *Patronum suum, in qua eruditissimos ipsius, ac suavissimos sermones (Venetiis habitos) & præclara erga se benevolentiæ, & humanitatis argumenta, annulum præsertim sibi ab eodem Gulielmo dono datum, luculentissimo sapphiro insignem, & Patroni ora referentem, commemorat, memoremque, & gratum animum pollicetur.*

Num. 8. ALTERA ROMULI LATINA EPISTOLA AD FRANCISCUM PRISCIANENSEM *habetur in editione Libri, cui titulus* = DEI PRIMI PRINCIPJ DELLA LINGUA LATINA. VENEZIA 1567. in 8. *ab eodem Priscianensi compositi.*

Num. 9. SEX PARITER ALIÆ PARITER LATINÆ INTER EPISTOLAS JOANNIS ANTONII FLAMINII BONONIÆ EDITAS ANNO 1744. IN LIB. XI. EARUMDEM EPISTOLARUM *scilicet* IX. X. XI. XII. XVIII. ET XIX. *sub pag.* 431. 434. 437. 438. 445. & 446. *reperiuntur.*

In IX. *Romuli epistola, quæ data legitur Bon. Cal. Aug.* 1522.

Epi-

Num. 9. *Epigrammatum laudes a Joanne Antonio Flaminio ſcriptorum continentur. In eadem epiſtola quædam Ovidii, Horatii, Martialis, & ejuſdem Flaminii carmina recenſentur; unde ſatis liquet Romulum latinis quoque verſibus delectatum. In ea pariter epiſtola hæc habentur* = ut tua fama, *ideſt Flaminii*, & hic Bononiæ, quemadmodum alibi, per ora Virorum incipiat volitare.

X. *Data Bon. ſext. Id. Maji* 1510. *Amicitiæ naturam, & affectus Romulus explicat, pluraque in id Philoſophorum congerit teſtimonia.*

In XI. *Dat. Bon.* xiii. *Cal. Sept.* 1510. illico, ut Bononiam appulit, Flaminii Fratrem compellaſſe, ſicque in ipſius benevolentiam pellectum *ſe ſcribit*, ut ejus neceſſitudine nullam ſe ab hinc nonum menſem arctiorem in ea Urbe nactum eſſe *cenſuerit*. *Ex quo colligitur Romulum circa finem anni* 1509. *Bononiam adventaſſe.*

In XII. *Epigrammata Flaminii commendat.*

In XVIII. *Bononiæ data* 3. *Non. Oct.* 1513. *Flaminium rogat, ut ſibi manum in re literaria præbeat. Hoc fortaſſe anno Lecturam aſſecutus, aut e Gymnaſio publico tum primum præfatus eſt: quod quidem innuere videntur ſequentia ejuſdem epiſtolæ verba* = Interea cum ſtudiorum auſpicia appetant, & Forum cujuſque ordinis Profeſſorum calcat prenſationibus, video ægrè in tam corruptis temporibus ſuſtentari dignitatem poſſe, niſi, quibus cæteri, & nos innitamur artibus. Habemus equidem ſtudia bonorum conciliata, propenſos in nos multorum animos; omnia tamen ſperamus fore auctiora, ſi & tu literaria hæc mea, ut ita dicam, comitia obieris. Quare cum mihi Flaminianam iſtam manum miſeris, quam in dies ex Academia tua prodituram accipimus, facies rem amico, qui tibi omnia cupit, gratiſſimam.

In XIX. *Bonon. dat.* viii. *Cal. Aug.* 1514. *Romulum circa id tempus agrotaſſe deprehenditur ibi* = Niſi fortaſſe recens, quam uno tantùm, ut ita dicam, citra mortem evaſimus calculo, ægritudo eam menti ingeſſerit caliginem, ut noſtrimet, velut cujdam olim eveniſſe legimus, fuerimus obliti. *Ex hac etiam epiſtola apparet Uxorem per id circiter tempus a Romulo ductam ibi* = Cogito quis mihi ſenſus, ſi æque proba, & nobili Uxorcula, qua nuper ſum auctus, carere contingeret. *De ſummis etiam, quos perferebat, laboribus nonnihil conqueritur ibi* = Iniqua premor ſarcina, demque longam alba, ut ajunt, linea cum publicis, tum privatis damus lectionibus.

Num. 10. TRES ITALICÆ *ad pag.* 53., *& ſeq. exſtant* IN COLLECTIONE EPISTOL. FACETARUM FACTA A FRANCISCO TURCHIO, ET VENETIIS EDITA 1601. *in* 8.

Alla pag. 53. *del ſecondo Libro la lettera* 24. *è ſcritta da Romolo a Gio. Antonio Serone in data di Roma* 11. *Luglio* 1519. *Da queſta lettera ſi raccoglie, che Romolo era in letto infermo; che era, o ſi fingeva innamorato di certa Egeria (nome finto), della cui invincibil durezza ſi lagna; e che moſtravaſi malcontento del proprio ſtato ivi* = Io ſono condotto a così mal porto di tutte le coſe mie, che io mi dubito, che per fuggir il biaſmo del Mondo, dico di queſte parti, ſarò neceſſitato aver rifugio a voi per ritrovar coſtì ſuſſidio di paſſar queſto poco rimanente di vita. Io ſono vecchio, ed eſtremamente povero, e, che

Num. 10. che è il colmo delle miserie, *obæratissimus*. Questo ultimo in vero è addivenuto per essere io stato un gran decottore di quello, che la fortuna, molto più benigna di quello era il merito mio, mi avea largamente donato. Lo dico a V. S. così per sfogarmi comunicando con lei gli affari miei, come anche per svegliare la sua più che giovenil prudenzia ad accarezzare la sua fortuna, che spero sara ottima, meglio di quello ho fatto io la mia.

Alla pag. 56. dello stesso libro la 25. in data di Roma 9. Agosto 1549. scherza sopra i suoi amori con Egeria; spiega la differenza di significato tra i Verbi = parco, ignosco, veniam do, *e* indulgeo. *Mostra desiderio di andare a Napoli.*

Alla pag. 57. dello stesso Libro la 26. di Roma non porta data, ma sembra scritta dopo la elezione di Giulio III., vale a dire nel 1550., *giacchè fa menzione del Sig. Gio. Battista di Monte come Nipote di N. S. Accusa una sua indisposizione d' occhi, che lo travaglia da molti mesi; e quanto allo stato suo così ne scrive* = Nel mio esser privato la fortuna mia va co' soliti passi retrogradando. *Ma per verità si cangiò, e divenne tra poco assai migliore, essendo stato l' Amaseo eletto Segretario del Papa, nel quale uffizio però vi durò poco tempo, avendo cessato di vivere nel* 1552.

OPERA INEDITA.

Num. 11. ORATIO IN FUNERE GASPARIS CARDINALIS CONTARENI, *quam Ludovicus Beccatellus, & Joannes Casa in Vita ejusdem Cardinalis, & Philippus Cardinalis de Montibus in Elogiis S. R. E. Cardinalium commemorant. Hanc Orationem in Æde Divi Petronii a Romulo recitatam Joannes Franciscus Nigrius in suis Annalibus refert; sed neque prælo edita, neque manuscripta uspiam, quod noverim, reperitur.*

Num. 12. ARISTOTELEM A ROMULO LATINE' VERSUM LEANDER ALBERTUS TRADIT = DESCRIZIONE D' ITALIA C. 489. *Sed Typographi erratum irrepsisse cum Mazzuchellio dubito, & Aristotelis loco forte Aristidem scribendum fuisse, ut Mazzucchellius ipse ex epistola conjicit a Lazaro Bonamico ad Amasæum data, & inter epistolas relata clarissimorum virorum a Petro Burmanno Hagæ Comitum editas anno* 1714.

Num. 13. LIBELLUM *preterea* EPISTOLARUM LATINARUM EJUSDEM ROMULI AD NUM. LXIX. PAPADOPOLUS *indicat* IN HIST. GYMN. PATAV. VOL. I. PAG. 311. *sed non liquet, num manuscriptæ, num. typis, & ubi, & quando emissæ fuerint.*

Num. 14. MORHOFIUS IN BIBLIOTHECA MARGUARDI GUDII NONNULLAS ROMULI EPISTOLAS MSS. *reperiri testatur.* IN POLYHIST. LIT. LIB. I. CAP. XXVI. NUM. 38.

Num. 15. EPISTOLARUM *quoque ipsiusmet* ROMULI A JULIO SIGNIO COLLECTARUM VOLUMEN *in eo fuisse, ut ederetur, ab epistola discimus Joannis Nicolai Saulii Carregæ inter*

Num. 15. *ter alias ejuſdem Auctoris Venetiis edita* 1613. *pag.* 15. *ibi* = Illud in primis ſcire velim, an Volumen epiſtolarum editum ſit Romuli Amaſæi doctiſſimi, & eloquentiſſimi Viri, quod Julius Signius in manibus habebat; illius enim editioni nihil aliud deerat, niſi aliquis, qui tantum impenſæ facere vellet, ut ederetur; quod ſi nondum ab aliquo impetrari potuit, noſtrorum temporum avaritia notanda eſt = *Hæc editio numquam eſt facta, & qua Volumen ipſum in Bibliotheca deliteſcat, plane ignotum eſt.*

Num. 16. ALIAS ITEM ROMULI EPISTOLAS INTER EAS, QUÆ AD BECCATELLUM CONSCRIPTÆ SUNT, IN MSS. CODICE *antea quidem, ex Apoſtoli Zeni teſtimonio, apud Nobilem Virum Sorantium aſſervatas, nunc autem apud clariſſimum Torcelli Epiſcopum Cornelium traductas refert Lirutus.*

Num. 17. MULTÆ ETIAM ROMULI EPISTOLÆ, ET DECRETA QUAMPLURIMA, *aurea ſanè latinitate conſcripta, in ſecretiore Tabulario Bononienſis Senatus reperiuntur, præter ea, quæ in appendicem Monumentorum retulimus.*

Num. 18. SIC HUJUSMODI EPISTOLARUM IN BIBLIOTHECA AMBROSIANA *ingens eſt numerus, quarum non paucas inter Monumenta produximus; & reliquarum indiculum a clar. Oltrocbio Bibliothecæ Præfecto deſcriptum edimus, in quo, præter Romuli Epiſtolas, aliæ pariter Epiſtolæ numerantur, tum ab Amaſæis, tum ad Amaſæos datæ. Indiculus ergo eſt, qui ſequitur, videlicet* =

EPISTOLÆ LATINÆ *in Codice Bibliothecæ Ambroſianæ* A. 59.

Hieron. Amaſæus ad Gregorium num. 5.
ad Romulum num. 1.
Gregorius ad Romulum num. 7.
ad Hieronymum num. 1.
Romulus ad Hieronymum num. 6.
ad Gregorium num. 17.
Pompilius ad Gregorium num. 2.
Urbanus Roſcius ad Gregorium num. 3.

EPISTOLÆ ITALICÆ *in eodem Codice.*

Gregorio a Romolo num. 26.
ad Eugenia Figlia di Romolo, e Moglie di Vincenzo Aldrovandi num. 1.
a Violante Guaſtavillani num. 1.
a Girolamo, e Leonardo unitamente n. 1.
al ſolo Girolamo num. 2.
a Leonardo num. 2.

Num. 18.

Leonardo a Gregorio num. 2.
a Girolamo num. 1.
Romolo a Gregorio num. 41.
a Violante Moglie num. 17.
Violante a Romolo num. 6.
a Gregorio num. 4.
Pompilio a Romolo num. 10.
a Violante num. 1.
a Gregorio num. 3.
Teofrasto a Romolo num. 2.
a Violante Madre num. 1.
Celio a Romolo num. 1.
a Gregorio num. 1.
Gio. Angelo Mich. Guastavillani a Romolo num. 1.
a Gregorio num. 1.
Filippo M. Aldrovandi a Gregorio num. 1.
Ludovico Gozzadini a Gregorio num. 1.
Leonardo de Maseris a Gregorio num. 2.
Morosina Comadre a Violante num. 2.

Num. 19. *Nos quoque* MSS. EPISTOLARUM ROMULI CODICEM *nunc primùm indicabimus* IN BIBLIOTHECA BONONIENSIS SCIENTIARUM, ET ARTIUM INSTITUTI *repertum, mecumque pro singulari humanitate doctissimi, ac diligentissimi Viri Ludovici Montefani Caprarae eidem Bibliothecae Praefecti communicatum; in quo quidem Codice* (in 4.) *hac Inscriptio legitur* =

Lettere di Romolo Amasco a varj, parte latine, e parte volgari. Originale dall' anno 1535. all' anno 1540.

AMADEI.

Ad quem scilicet Codex antea pertinebat.

Haec porrò eiusdem Codicis, seu Libelli, quam accuratiorem ferre possumus, descriptio esto. =

Extat in Bibliotheca Bononiensis Scientiarum, & Artium Instituti Epistolarum libellus, quarum aliae vulgari, aliae latina lingua ex anno 1535. in 1540. manu Romuli satis nota conscriptae sunt. Sexdecim illae, hae viginti quatuor numerantur. Italicarum alteri Calius Calcagninus subscriptus legitur, quam proxime sequitur latina versio, eademque subscriptio, credo, ut appareat Calcagnini nomine a Romulo scriptam esse, cuius stilum, si quid ego judico, omnino redolet. Altera, quae libellum claudit,

ad

Num. 19. *ad Veronæ Antiſtitem data eſt, ſola ſcilicèt, quæ latinam verſionem non habeat. Nam alia quidem quatuordecim latinè verſa ſunt, ſive, ut opinor, è latino converſa, quippe quæ indolem potius, & formam latini ſermonis induere plane omnem, quàm referre, & explicare propriam videantur. Ex quo etiam fortaſſe efficitur, ut a latinarum nitore, atque præſtantia plurimum diſtent, cum iis certè, vel propter linguæ puritatem, vel propter verborum delectum, minimè comparanda. Reliquæ novem ex viginti quatuor latinis Epiſtolis ſine ulla ſeu verſione, ſeu mavis converſione italica reperiuntur; ex iiſque toto in libello quatuordecim, in quibus nomina eorum, ad quos Littera ſcripta ſunt, deſiderantur; quorum ego nominum meo in Commentario, quantum conjectura aſſequi licuit, nonnulla prodidi, & facta præterea quædam memoratu digna, quæ in Epiſtolis indicantur, ipſarum Epiſtolarum teſtimonio vel detexi, vel illuſtravi.*

Cætera verò, quæ nomina eorum præferunt, ad quos pertinent, hoc nimirum ordine ſcripta ſunt =

Ad Petrum Dandlottum.
Ad Ludovicum Avylam.
Ad Pompilium Amaſæum.
Ad Cardinalem Sanctæ Crucis.
(*Franciſcum ſc. Quignonum de Luna Hiſpanum.*)
Ad Gaſparem Cardinalem Contarenum.
Ad Jacobum Cardinalem Sadoletum.
Ad Fratrem Cornelium.
Ad Sebaſtianum Delium Butuntinenſis Civitatis Pontificem deſignatum.
Ad eumdem =

Quibus poſtremo loco, uti diximus, Epiſtola adjecta eſt ad Veronæ Epiſcopum data, quam inter Italicas ſupra recenſui. Erat autem eo tempore Veronæ Epiſcopus Joannes Matthæus Gibertus.

Sed jam ipſarum Epiſtolarum argumenta, & ſi qua alia notatu digna ſunt, immo & nonnullas ex eiſdem Epiſtolis ex Codice ipſo deſcriptas, quas nunc primùm proferimus, adire præſtat.

EPISTOLARUM

De quibus ſupra, Argumenta.

In prima ex latinis Epiſtolis data Bononiæ xii. Cal. Decembris 1535. M. Antonium Roſcium commendat, qui ejus Auditor fuerat. Nomen ejus, ad quem ſcripta eſt Epiſtola, non apparet. Conſtat tamen ad Virum cum publicis negotiis, tum optimarum Artium ſtudiis diſſentum, & virtute, & auctoritate præditum pertinere.

In ſecunda data Bon. vi. Id. Decemb. 1535. de Pompilio, ſuo videlicet Filio, loquitur, eumque adoleſcentem indolis optimæ appellat. Fortè ad eumdem, ad quem ſuperior, hæc quoque Epiſtola ſcripta eſt. Pompilius autem id temporis Romæ verſabatur.

Num. 19. *In tertia data Bon.* xviii. *Cal. Jan. Franciſcum neſcio quem laudat (forte Robortellum) celeremque ipſius in literis cum Græcis, tum Latinis progreſſum admiratur; ſcribit enim:* temporis brevitatem cupiditate, ac potiùs diſcendi ardore ita farſiſſe, ut non excurriſſe, ſed devolaſſe vitius fuerit. *Ad ejuſdem Franciſci Fratrem ſcripta eſt Epiſtola.*

Quarta, quæ data eſt xi. *Cal. Jan.* 1535. *Bon., ad Ludovicum Avylam fortaſſe pertinet, cui ſeptem Xenophontis libros latinè verſos inſcripſerat. Claudit enim Epiſtolam in bunc modum* = Vale, & ſi non impudenter, ac petulanter hoc tibi videar poſtulare, operam dato, ne Cæſar Auguſtus opt. invictiſs. feliciſs. Imperator mei memoriam ex animo abjiciat =

In quinta dat. Bon. quarto Id. Jan. 1535. *Cæſari, neſcio cui, ſe ſtudio, & opera non defuturum pollicetur. Ad hujus Cæſaris Patrem epiſtola ſcripta eſt, qui ad ſuos de Simplicibus Libros Bononiæ edendos filium miſerat. Calium præterea quemdam (forte Calcagninum) cum laude commemorat. Inter Auditores Romuli a Liruto deſcriptos nemo, qui Cæſaris nomen habeat, reperitur.*

Sexta, & ſeptima datæ ſunt ambæ Bon. Prid. Id. Febr. 1536. *Burgium Siculum Baronem Pont. Max. Nuncium ad Regem..... commendat.*

Octava ad Petrum Dandlottum ſcripta eſt Bonon. xiv. *Cal. Marc.* 1536. *Nihil continet peculiari animadverſione dignum.*

Nona Bon. data eſt Non. Mart. 1536. *ad Ludovicum Avylam amoris, & officii plena. Difficilem ejus, & periculoſam cum Cæſare peregrinationem, reditumque commemorat, eamque claudit his verbis* = Vale, & ſi dignum me aliqua ex parte putas, qui id poſtulem, in Cæſaris me gratia, & memoria retineto =

Ex decima, quæ data eſt Bon. Prid. Id. Mart. 1536., *apertè colligitur quàm modeſtè Romulus de ſua Xenophontis verſione, & de Oratione, quam de Pace habuit, ſentiret. Vel ad Utinenſem quempiam (forte Franciſcum Robortellum) vel certè ad Amicum, qui Utinæ verſabatur, ſcripta eſt. Ait enim* = Cognoſces autem ex me ipſo, qui, ut ſpero, ad xiii. Cal. Quint., & Patrem meum iſthac domum reducam, & te viſam = *Tota infra deſcripta eſt.*

Undecima Bon. data Cal. Apr. 1536. *Stanislai Oſii mentionem facit ibi* = Stanislao Oſio juvene optimo, atque eruditiſſimo adjuvante = *Non liquet, ad quem ſcripta ſit Epiſtola.*

Duodecima Bon. data Id. Aprilis 1536. *ad Pompilium Romuli Filium. Nonnulla, quæ ad Patris diſceſſum, & ad tempora pertinent, quibus data, & acceptæ ſunt complures Pompilii Litteræ, non parvam offundunt obſcuritatem. Multa verò ibi narrantur ſcitu digniſſima. Tota, ut infra, exſcripta eſt.*

Decima tertia data eſt Bon. quarto Idus Maji 1536. *ad Cardinalem Sanctæ Crucis (Is erat Cardinalis Quignonius de Luna Hiſpanus). Suam ſe diligentiſſimè operam præſiturum confirmat Joanni Fratris filio. De ratione ſtudiorum inſtituenda fusè diſſerit, ſuamque de Juris ſcientia, ejuſque Profeſſoribus ſententiam aperit. Tota, ut infra, exſcripta eſt.*

In decima quarta Epiſtola v. *Cal. Julii data* 1536. *ſuo, & Familiæ Amaſæ Patrono (ſortè Cardinali Campeggio) gratias*

agit

Num. 19. *agit de beneficiis in Pompilium collatis, Deumque se cum Pompilii Matre, Sororibus, & parvulis Fratribus oraturum pollicetur pro ejusdem Patroni felicitate, atque salute.*

Decima quinta ad Acciajolum, ut legenti patet, scripta est Cal. Jul. 1536. Mœrentem propter jacturam nescio quam consolatur, sque, ut primum per negotia publica licuerit, cum eo futurum pollicetur.

Decima sexta data Bon. XIII. Cal. Sept. 1536. de re frumentaria agit pro domestica Annona, & de censu Romanorum disserit.

Epistola decima septima, & decima octava, quarum prima data est ad Cardinalem Gasparem Contarenum Romæ Non. Quint. 1535., altera ad Cardinalem Jacobum Sadoletum Cal. Jan. 1537. gratulatoriæ sunt pro Cardinalitia dignitate ad utrumque delata. Utraque, ut infra, exscripta est.

Pariter decima nona, & vigesima data Cal. Jan. 1537. Cardinalibus duobus nuper electis gratulantur, & electio quidem facta videtur eodem die, in quem electio incidit Cardinalis Sadoleti.

Vigesima prima scripta est ad Cornelium Fratrem Bonon. Nonis Dec. sine nota anni. Fratris nomine Religiosum Virum (forte Archiepiscopum Cornelium inter Romuli discipulos a Liruto numeratum) designari ex Epistola ipsa perspicitur, & quidem concionatorem, cujus Pater doctissimus erat, & integerrimus, prout illum appellat Romulus.

Vigesima secunda Calii Calcagnini nomine scripta est Cal. Feb. 1537., & ad Romulum data videtur, qui Bartholomæum Riccium commendaverat. Laudes Riccii continet, & Pierii Valeriani; & commentarios memorat, quos ex libris Ciceronis Riccius excerpserat.

In vigesima tertia ad Sebastianum Delium Eutustinensium Episcopum designatum Bononiæ data Cal. Feb. 1538. de obtenta dignitate gratulatur, eique, & Cardinali Alexandro Farnesio benè ominatur.

In vigesima quarta ad eumdem data Bon. III. Cal. Apr. 1538. sententiam explicat suam, quam male Episcopus fuerat interpretatus. Sebastianum Delium paucis ante Pauli (III.) renuntiationem mensibus Bononiæ versatum fuisse, & secum in Palatina porticu inambulasse meminit.

Vigesima quinta, Italico sermone conscripta, ad Veronæ Pontificem data est Bon. Cal. Maji 1540. Se ita legendi munere, & publicis negotiis implicitum, & impeditum ait, ut Basilii Oratonem funebrem vertere non potuerit, prout illi ab Episcopo propositum fuerat.

EPISTOLÆ

Ex mss. Codice prædicto descriptæ.

DECIMA.

De Livio, deque Ciceronis Oratoris libris multùm te amo. De Xenophonte ignoscas temeritati meæ, cum necessariam eam fuisse cognoris; cognosces autem ex me ipso, qui, ut spero, ad xiii. Cal. Quint., & Patrem meum isthac domum reducam, & te visam. *Interea Xenophontem ipsum, non Atticum illum di-*

Num. 19. *eo, sed Vernulam istum meum semibarbarum, qualis qualis tibi visus fuerit, benevolentia, atque auctoritate tua sustentato,* tua etiam vendibiliorem efficito. Ac noli dubitare futurum me de reliquo multò minùs impudentem. Sic enim tibi persuade invitissimum me *& Xenophontem nuper, & illum de Pace Orationem ab hinc quartum jam annum decem dumtaxat exemplis descriptam emisisse; quam idcirco tibi non misi, quòd indignissimam duxi, quam legeres. Quare verò & tunc eam, & nunc Xenophontem excidere quodammodo mihi passus sim,* & quare aliud nihil, nisi te auctore, sim editurus, uti ante dixi, de me ipso intelliges. Pamphilum quibus rebus potui, & Soceri causa juvi, neque tuis ego commendationibus, cujus causa velle debeo omnia, unquam ulla ex parte deero. Coram reliqua. A Patre meo, Uxore, & Liberis salvebis. Vale. Bon. Prid. Id. Mart. 1536.

DUODECIMA.

Cum tuam maximè in scribendo diligentiam desiderem, quod post vestrum a nobis digressum nihil de vestro itinere cognoscere potueramus, atque ob eam rem nonnihil ego, & tua Mater solliciti essemus, redditæ tandem nobis abs te literæ vii. Idus Octob. datæ duodecim ipso die, ex quibus id primum voluptati fuit cognovisse, rectè esse apud vos, ac celeriùs aliquantò, quàm putaremus, quantum ex itinerum ratione conjicere potuimus, vos Utinum perventuros, deinde per te non stetisse quominus ad præscriptum tibi tempus nos de vestro Venetias adventu certiores faceres, postremò *quòd latine, quàm populari lingua ad me scribere malueris, quod institutum ut teneas, te magnopere hortor, ut in hoc saltem scribendi genere familiari latinæ linguæ usum retineas.* Multa literæ tuæ habent, quæ scire cupiebam. Unum illud prætermissum a te sum miratus, quid egeris de Camilli nostri (*sorte Paleotti*) mandatis, in quo, te obsecro, da operam, ne tuum officium desideret. De Prætorio Patavino malè mehercule narras; doleo præclaram illius operis molem, quæ tanto erat illi Urbi ornamento, magna, ut scribis, ex parte igne consumptam; non possum tamen de utro Prætorio dicas, cum duo sint, conjicere. Sed hæc coram per otium. Interea tamen quid habeam, quod ad vos scribam novi, accipe. Pont. Max. Massiliam appulit cum tota Classe incolumis, non sine periculo tamen. Triremem enim eam, qua Gaddius Cardinalis vehebatur, è transverso ventis actam naufragio narrant periturum fuisse, nisi laborantem vehementer Medici triremis sublevasset. Obvios habuit Pontifex Regios Liberos natu minores cum maximo Gallorum Principum, & eo ornatissimo, comitatu. Rex cum Regina, & Delphino consecuturus dicebatur. Pontificem Novembri mense rediturum fama vulgavit, ac Florentiæ aliquot dies commoraturum. Cæsius turs Sutrio Viterbium venerat, ut Pontificem consequeretur, quantum se cognovisse Salvator mihi dixit ex Conradi literis; verùm morbo retentante a proposito deterritum lectica Romam reportatum. Hæc de Urbanis, Gallicisque rebus. Addam de finitimis ferè nostris tragicum casum. Galeotus Concordiæ Tyrannus cum paratissimo sicario-

Num. 19. riorum globo noctu intra Mirandulæ muros a Factione receptus, cæsis custodiis, & uno de Joannis Franciſci Tyranni filiis, Oppidum, & arcem occupavit, gazam Tyranni diripuit; ipſi ſeni deprecanti de cervicibus caput abſciſſum. Uxor, & Paulus natu minimus ex ejus Liberis (nam maximus Joannes Thomas a patre jampridem abdicatus aberat) in cuſtodias conjecti. Galeotus Cæſaris, & Mantuæ Tyranni ſigna ſuſtulit. Atque hæc omnia ſecunda hominum fama Galeotus feciſſe videtur, ut facilè appareat, qua Joannes Franciſcus abundabat, non poſſe ab aliis virtutibus ſejunctam ſatis cuiquam magno præſidio eſſe. Sed ad noſtra redeo. Cum Aſulanis ages, ut libros indicent denariis, ſive marcellis ternis, aut eo etiam minoris, modò ut veneant. *Si Cælius* neceſſe habet libros emere, permutet cum Bibliopolis. Scripſi paulò poſt diſceſſum veſtrum ad Patrem, ut mihi eruditum aliquem literis grecis, & latinis Elephantutiis Magiſtrum curet; id illi a me magnopere contendunt. Mihi quidem Nicolai Draconis in mentem venerat; ſi poſſet, ut conditionem acciperet, adduci, non malè hercule rationibus ſortaſſe ſuis conſuleret; mercedem Illi arbitrii mei eſſe volunt, puto poſſe ſcutatis L. tranſigi. Quid e Cardinalium duorum gratia ad ſpem ei proponi poſſit, tute ſcis. Vide, amabo te, dediſſe operam videamur, quo nanciſcerentur qualem cupiunt. Ac, ſi non es tam celeriter rediturus, quid egeris ad me perſcribe: quo literarum tuarum teſtimonio meam illis diligentiam probare poſſim. Vale. Bononia Id. Aprilis 1536.

DECIMA TERTIA.

REV. CARDINALI S. CRUCIS.

Cum mihi pro ſingulari tua humanitate & coram, & per literas commendaris Joannis Fratris tui filium, adoleſcentem non ſolum nobiliſſimum, atque ad ampliſſimæ fortunæ ſpem natum, ſed indole etiam eximia, & probitate incomparabili, facilè intelligo pro virili mea debere me eniti, atque elaborare, ne minùs dignus, cui eum commendares, fuiſſe videar; & profectò adhuc ſtudiis, officiiſque meis omnibus, ut eam ſpem, quam in mea te opera, & cura repoſitam habere ſatis liquidò perſpexi, ut aſſequerer, conari non deſii. In quo certè genere juvit egregiam voluntatem meam nonnihil fortuna. Cum enim caput illud eſſe putarem, ut adoleſcenti quammaximè idoneus ſtudiorum comes deligeretur, nactus ſum æqualem ferè ejus & moribus optimis, & eruditione cum Latinarum, tum Græcarum literarum minimè aut juvenili, aut vulgari, qui cum jam in contubernium ſit ab ipſo Propinquo tuo receptus, & ei plurimùm probetur, ſpero certè vel ex hoc uno jam factam eſſe ad meam apud te gratiam nonnihil acceſſionis; jam verò & ipſe eam illi operam navabo, ut ſæpe, quos in literis proceſſus efficiat, cognoſcam, de eoque ad te accuratè, & fideliter perſcribam. Interea non diſſimulandum putavi, quod ad ejus ſtudiorum optimè inſtituendorum rationem magnopere intelligo pertinere. Neque verebor, ne ſuſpiceris dici a me hæc commodi alicujus mei cauſa, aut quòd ſtudiis meis,

Num. 19. pluſquam alienis, faveam; cum mihi ipſe ſim conſcius in hac ſententia mea, quam nunc ad te ſcribo, non quid mea interſit ſpectaſſe, ſed quod ad bonam adoleſcentis frugem conducere, & ad ea ſtudia, in quæ incumbet, tantò facilius cognoſcenda magnopere appoſitum eſſe cenſeo. Id autem hujuſmodi eſt. Miſſus eſt a te Bononiam, ut Juris Civilis, & Pontificii prudentiam adipiſcatur. Quis neget eſſe ſtudia plena gravitatis, & dignitatis? ac longè uberrima præmia iis, qui illa conſectantur, apportare conſueſſe, cum illis magna ex parte publicorum conſiliorum auctoritas, recta Civitatis, & rerum publicarum adminiſtratio contineatur? cum ejus ſive ſcientiæ, ſive facultatis compotes longè principem ſibi honoris, atque exiſtimationis gradum jampridem occuparint, atque eum nunc etiam, Diis hominibuſque approbantibus, tueantur? Verùm id ipſum ſtudium (ut mea fert opinio) ejuſmodi eſt, ut ab iis, qui ante latinæ linguæ uſum ſaltem mediocriter non teneant, aut percipi nullo pacto poſſit, aut qui eo modo illud perceperint, non Juris Conſulti, ſed Legum veluti bajuli quidam, atque operarii, infantes, & inepti barbararum ambagum interpretes, ac profeſſores rectiùs appellari poſſe videantur. Nam, proh ſumme & æterne Deus! qui poſſit quiſquam vel leviſſima quæque animi ſenſa, nedum graviſſimæ, atque altiſſimæ mentis decreta, cognoſcere, ſi voces ipſæ, rerum notæ, atque indices quid ſibi velint, aut quem ſenſum præferant, ne ſuſpicari quidem queat, nedum perſpicere? Non eſt temporis compendium hoc modo diſcere, ſed præpropera quædam ea diſcendi cupiditas, quæ, ſi quis, qui ita didicit, aliquando reſipiſcat, dediſcenda ſibi primo quoque tempore ducat. Quare cum adoleſcentem videam leviter omnino (quid enim diſſimulem, ubi apertè dicendum eſt, quod ſentio?) literas eas attigiſſe, per quas gradus ad cætera ſtudia ſtruitur, nullo pacto expedire arbitror Juris Civilis eum ſtudium capeſſere, priuſquam in Latinis, Græcis etiam literis tantum profecerit (quod profectò uno, & altero anno perbellè conſequetur, cum diſcendi ardore, quo eſſe inflammatum video, tum verò præceptorum auxilio, & cura) ut cum Juris, & Legum monumentis ita rationem habere poſſit, ut eorum veteres Auctores, graviſſimos illos quidem, ac diſertiſſimos, non putet aliena quaſi lingua locutos. Quod ſi nunc, hoc quaſi gradu non ante præſtructo, ad Juris Civilis, ut ita dixerim, limina accedere conatus fuerit, nihil magis vereor, quàm ne ſi tempus, ac mentem in tam diverſa duo ſtudia diſtraxerit, ab illo rei inſolentia, ac novitate deterritus abhorreat, in hoc minùs multò proficiat, quàm ex re, uſuque ejus futurum ſit. Quod ſi hac linguam cognoſcendi tempeſtivitate utatur, & maturiùs ad illud aliud ſtudium aggrediatur, diſcendi celeritate hoc temporis impendium facilè ſarciet; neque tamquam hoſpes, ſed penè civis, & familiaris cum Scriptoribus congredietur. Hæc ſententiæ meæ quædam ſumma eſt, quam tibi non fortaſſe prudenter, ſed certè amantiſſimè, ac fideliſſimè perſcripſi; eam verò ſi auctoritate, judicioque tuo, Vir omnium ſapientiſſime, & optimorum quorumcumque ſtudiorum laude abundantiſſime, comprobaris, ætati, ſtudioque optimi adoleſcentis fratris tui filii optimè conſultum putato; ſin aliter, lætabor tamen in ſententia mea tibi

ex-

Digitized by Google

Num. 19. exponenda ſummæ erga te obſervantiæ ſatis perſpicuam, ni fallor, ſignificationem dediſſe. Vale. Bononiæ iv. Idus Maji 1536.

DECIMA SEPTIMA.

R. A. GASPARI CONTARENO CARD. S.

Incredibili profectò affectus ſum lætitia, cum primùm te audivi magno graviſſimi, ac ornatiſſimi Ordinis conſenſu Cardinalem declaratum, neque omnino recordari poſſum ullo umquam me tempore ex fecundis Amici cujuſque rebus majorem voluptatem cepiſſe. Atque id conſentaneum certè fuit ſingulari meæ erga te jampridem ab ineunte ætate ſuſceptæ obſervantiæ; conſentaneum de excellenti virtute tua, moribus, doctrina, vitæ integritate omnium hominum judicio, ac meæ etiam ipſius opinioni; conſentaneum poſtremò ei ſpei, atque expectationi, ad quam Bonos omnes tantus, ac tam admirabilis fortunæ tuæ eventus excitavit; meam verò hanc lætitiam nulla ſum adhuc apud te gratulatione teſtificatus, quòd ſcilicet, quibus verbis tibi homini ſapientiſſimo, ac doctiſſimo gratularer, in mentem non veniebat. Nam cum te unum eſſe exiſtimem, qui in virtutis, non fortunæ ullius accumulatione, vitam beatam repoſitam habeas, quique vitæ dignitatem, ac merita, ideſt bonas artes, rectaque ſtudia, non honores, aut ullas fortunarum acceſſiones in maximis bonis ducas, non videbam qui tibi probare poſſem ſatis recta, certaque ratione gaudium meum ſuſceptum, & hujus gaudii cauſam non multum habere momenti ad explendam, & cumulandam beatam vitam te interpretari putabam. Nam ſi cum quid acciderit ex iis, quæ vulgus in adverſis numerat, omnis ad Sapientem conſolatio ſupervacanea, atque inanis videri poteſt, propterea quòd ille quicquid non ſua culpa, aut errore evenerit, malum eſſe ut credat, adduci non poteſt, pari ferè ratione cui ex ſe ipſo omnia ferè apta ſunt bona, quantacumque facta fuerit fortunæ acceſſio, quòd extra ſe quæ ſunt omnia, ſua eſſe non cenſet, neque beatæ vitæ ſtatum aliunde, quàm animi tranquillitate, & conſtantia perfici poſſe exiſtimet, jure fortaſſe parum neceſſaria gratulatio omnis videatur. Atque hinc quidem mea ſuſcipiendæ gratulationis cunctatio profecta eſt. Jam verò dum in hac cogitatione hæreo, cauſas, cur tibi meritò gratuler, nonnullas reperio non omnino leves, niſi mea me fallit opinio. Primùm quidem illud occurrit, debere Sapientem optare ſibi facultatem dari, qua quæ inveſtigando, meditando, experiendo conſecutus fuerit, ad res bene gerendas, ad hominum ſalutem, & communes utilitates conferat; te porrò in hoc genere præclarè adhuc partibus tuis functum, cum in iſta multò ampliſſima Rep. vitæ dignitate, & meritis per maximorum honorum gradus ad principem prope locum evaſeris; nunc verò cum in maximum, & ſanctiſſimum totius Chriſtianæ Reipublicæ Conſilium allectus fueris, eam eſſe tibi divinitus poteſtatem datam, ut non unam tantum Civitatem, verùm omnes penè gentes, & nationes Chriſtiani Imperii in magnum diſcrimen, ac perturbationem adductas conſilio, & auctoritate regere, & ad verum decus, ac dignitatem poſſis revo-

Digitized by Google

Num. 19. vocare. Deinde, ut Sapiens ſuis ipſius commodis, & ſucceſſibus minùs lætetur, gaudendum tamen ei eſſe, quòd non ipſe tantùm beatæ vitæ ſit compos, ſed beatos etiam eos efficere poſſit, qui illius ſe fidei, & poteſtati commiſerint; quò verò latiùs beneficium pateat, & ad plures pertineat, eò etiam qui illud dare poſſit, meliùs ac præclariùs ſecum actum exiſtimare debere. Quanti verò illud æſtimandum, te eas opes, ea dignitatis ornamenta habere, quibus aut temporum injurias, ac pericula propulſare, aut improborum plerumque, & perditorum, qui cæci errore, ac libidine ad Rempublicam lacerandam, ac evertendam præcipites feruntur, conſilia debilitare, & conatus frangere poſſis? His itaque de cauſis hunc fortunæ tuæ tam optabilem eventum tibi gratulari Bonos omnes debere intelligo. Quamquam eſt profectò quod ætati noſtræ multò plus gratulemur, quòd in ea, quod multis ante ſæculis non contigit, tantus tibi honos non ambienti, ſed ne petenti quidem, quin etiam nihil minùs cogitanti, ideſt virtuti, doctrinæ, ſapientiæ, rectiſſimis atque honeſtiſſimis ſtudiis habitus fuerit, ut facilè quidem appareat, etſi claro loco natus es, & in ſatis amplis fortunis, parvam tamen generis, nullam omnino cenſus tui rationem habitam. Quantam verò hoc nomine omnes Chriſtianorum Civitates Paulo Pont. Max. laudem tribuant, qui cum te graviſſimo ac ornatiſſimo decreto judicioque ſuo cooptavit, facilè declaravit, aliud ſe nihil, quàm ſalutare quoddam Romano Senatui lumen, ac certiſſimum Chriſtianæ Reipublicæ præſidium quæſiſſe! Poſtremò verò quæ literis, quæ ingenuis atque honeſtis Artibus gratulatio non debeatur, quibus certè magna, ac minimè dubia per commendationem tuam priſtini ſplendoris, ac gratiæ recipiendæ ſpes oſtentata eſt? Pro mea igitur veteri in te obſervantia, ac recenti lætitia tibi, deinde omnibus, quibus optatus hic, & ſecundus de novo honore tuo nuncius eſſe debuit, magnopere gratulor, ac Deum ſummum, & æternum oro, ut hunc eventum tibi fortunet, & ſecundet. Te verò ipſum rogo, tibi ut perſuadeas meas has literas verboſiores fortaſſe multò, quàm decuit, non ab inani, & ambitioſa officii oſtentatione, ſed ab animi mei certo judicio profectas, eaſque cum gaudii mei teſtes, tum verò veteris clientelæ apud te teſtimonium eſſe debere judices. Romæ Non. Quint. 1535.

DECIMA OCTAVA.

R. A. JACOBO SADOLETO CARD. S.

Etſi minùs fortaſſe multò, quàm alius quiſquam loci, Ordiniſque mei, tibi ſum notus, ea tamen fui ab ineunte ætate nominis tui obſervantia, ſic ingenium, virtutem, literarum tuarum genus adamavi, & admiratus ſum, ut ſi ad amicitiam conſtituendam id unum eſſet ſpectandum, quantum quiſque maximè diligeret, neminem omnino eſſe exiſtimarem, qui juſtiùs tuæ ſibi benevolentiæ primas partes debuerit vindicare. Verùm ſic fortuna mea, ſic tempora tulere, ut vix a te cognoſci, nedum familiariter diligi, potuerim, quod etſi ægerrimè tuli, eam tamen mo-

Num. 19. moleſtiam de te ſæpiſſimè cogitando, ac divinas prope laudes tuas modò ex ſuperiore, modò ex æquo loco prædicando, ut potui ſcilicet, levavi. Ac volui quidem, dum honeſtiſſimo illo provinciali ocio fruerere, meam tibi per literas obſervantiam ſignificare; verùm & mei me ingenii imbecillitas, & magnitudinis tuæ in omni virtutum genere verecundia deterruit. Cum verò juſſu tuo Florebellus adoleſcens optimus, & valde eruditus ad me anno ſuperiore ſcripſiſſet, ad ejus ego quidem humaniſſimè, atque elegantiſſimè ſcriptam epiſtolam, cui tu verſum unum, & alterum chirographo tuo adſcripſeras, reſpondi, & per literas, quanti te facerem, declarare conatus ſum. Illæ verò literæ in cujus manus inciderint, neſcio. Ex ipſo certè, cum Romam proficiſcens domum meam, ut me viſeret, veniſſet, cognovi eas redditas non fuiſſe. Altero verò ab hinc menſe, cum e feceſſu fortè rediſſem, audivi ex Signiæ Pontifice, ſtudioſiſſimo, & obſervantiſſimo homine, aliquot te horas Bononiæ fuiſſe, dum Romam Pont. Max. accerſitu contenderes; vehementer fortunæ meæ ſuccenſui, quæ omnia mihi tempora præripuiſſet ad amicitiam, aut notitiam certè tuam propius (ut ita dixerim) adeundi. Reliqua ea fuit ſpes, quòd, priſtinæ illius verecundiæ quaſi ſolutis vinculis, eram te literarum, ac ſtudiorum cauſa quiddam, de quo ſcribam aliàs, per literas rogaturus, ac certè quibus id verbis facerem, jam fueram meditatus, cum allatum eſt te in ampliſſimum & ſacroſanctum Cardinalium Collegium allectum. O fauſtam, & exoptatam cogitationis meæ interpellationem! Verùm quid, dices, opus fuit iſta tui in me animi commemoratio? Quòd mea videlicet cautio fuit, ne dum ſtudeo in numerum tuorum venire, levior tibi videri poſſem, quàm ut me fatis clientela tua dignum duceres; id autem facilè poſſet accidere, ſi qui adhuc apud te tacuiſſem, in præſentia ad hoc ſcribendi officium, non perpetuo in te ſtudio meo, ſed communi, & vulgari quadam hominum ambitione adductum me acceſſiſſe putares. Ego verò te ob iſtam honoris illius quidem ampliſſimi acceſſionem tantum colo, quantum cæteros Ordinis tui homines, quibus tecum jam communes tituli, purpura, apex, reliqua maximæ dignitatis inſignia. Jampridem verò ob ſingularem eruditionem, ſummam eloquentiam, vitæ ſanctimoniam, & reliqua animi ornamenta, quæ aut propria, aut certè cum pauciſſimis communia fuere, eumdem ego te tanti facio, ut pluris nemo certè apud me fuerit, quantos eſſet cumque vel honores, vel opes conſecutus. Hoc mihi ſi credis (quod ut credas, per communia te Muſarum, tum verò unicæ Religionis initia, quibus tu magna cum ſanctitate præes, obſecro, & obteſtor) ſuſpicari certè non debes me, qui nunc demum ad Sadoletum Cardinalem ſcripſerim, non fuiſſe etiam ſcripturum ad Epiſcopum Sadoletum, aut ipſum etiam dumtaxat Jacobum Sadoletum, cujus ego ipſo nomine & recreari me ſemper, & ad veræ laudis ſtudia erigi, atque excitari ſenſi. Facilè autem patior novi honoris tui maturitate cunctationem meam ſuperatam, & ſcribendi initium fuiſſe mihi a gratulatione faciendum. Cur enim ego in tanta, quantam extitiſſe par eſt, Bonorum omnium lætitia conticeſcam? Quamquam qui Reipublicæ, qui Paulo Pont. Max. majorem in modum gratulor; illi

quòd

Num. 19. quòd tam magnis & præclaris Artibus, tam rectis ſtudiis præditum, tanta ſapientia Virum aſſertorem, & patronum duris, & periculoſis temporibus ſit habitura; huic quòd divinæ cujuſdam ſapientiæ in te ornando ſpecimen dederit; tibi ipſi verecundiùs gratulor, eam ſcilicèt ob rem, quod ſubvereri interdum mihi in mentem venit, ne minus facilè te a pulcherrimo eo otio, quod fueras arctiſſimè complexus, abſtrahi patiare; & idcircò conſolationem potiùs fortaſſe, quàm gratulationem requiras. Sed profectò benè, & præclarè tecum actum exiſtimare debes, qui cum optimis quibuſque Artibus ab ineunte adoleſcentia inſtructus, & ornatus fueris, integerrimæ ætatis tempora, Leonis, & Clementis Pont. Max. ductu, & auſpiciis, in actionum honeſtiſſimo genere conſumpſeris, cum Reſpublica eò jam deducta eſſet, ut divina tantum ope, non humano amplius conſilio juvari, conſervarique poſſe videretur, ad ea, quæ animo ſemper conſtantiſſimè retinueras, cum tuis, tum Reipublicæ temporibus poſtulationibus intermiſeras, ſtudia expolienda in ſeceſſum te, atque otium abdideras; atque inde te nunc Paulus Pont. Max. evocarit, ut eadem Reſpublica virtutis, conſilii, doctrinæ, auctoritatis tuæ quaſi firmiſſimo cardine niteretur. Et quæ potuit cujuſquam vita aut elegantiùs inſtitui, aut optatiùs beari? At carpit animum priſtini otii deſiderium. Cur illud expetiveras? cur jam nactus eo tantopere delectabare? Credo tibi homini graviſſimo ac ſapientiſſimo aliud nihil fuiſſe propoſiti, niſi ut in ſumma vitæ ſecuritate egregia bonitatis, & innocentiæ exempla ederes, & per vigilias, ac lucubrationes tuas viventibus, ac poſteris quamplurimum prodeſſes. Effeciſti jam illud magna ex parte: efficies etiam, ſpero, poſthac, cum Reſpublica maximis tuo auxilio periculis liberata, tibi rurſus otii fructum. Dijs hominibuſque approbantibus, concedet. Non invitus tantiſper debes operam, cogitationes, actioneſque tuas omnes ad communia tempora, ad Pauli voluntatem, ad Bonorum omnium ſtudia aggregare; ſic enim & veræ gloriæ, quæ Sapienti ut concupiſcenda non ſit, contemnenda certè non eſt, conſulueris, & optimè de hominum genere meritus a Deo unico, & ſempiterno, cui uni jampridem mentem vitamque tuam omnem dedidiſti, gratiam immortalem inieris. Vale, &, ſi verboſior fui, quàm aut occupationum tuarum magnitudinis, aut dignitatis rationem habuiſſe videar, obſecro te, ut id fuiſſe interpretere pro omnibus iis temporibus, quæ aut ſalutationibus, aut literis meis, ſi id ego poſtulaſſem, tu pro ſumma facilitate tua humaniſſimè impertiſſes. Bononiæ Cal. Januarii 1537.

Num. 20. CARMINA QUOQUE LATINE' A ROMULO SCRIPTA *Giraldus memorat in Dial.* II. *p.* 413. *de Poetis noſtrorum temporum, itemque Konig. in Biblit. vet., & nov. p.* 32., *& ad eum forte pertinet, quod Julius Cæſar Scaliger in Lib. VII. de Poetica pag.* 790. *ſcriptum reliquit* = Minor in numeris Amaſæus, atque libertor, purus tamen, & candidus: tum verſus non vulgares, tametſi argumentum non admodum felix ad tanti ingenii exercitationem = *Contra Joannes Baptiſta Pigna inter egregios Poetas Romulum recenſere, & Orpheo Thracio comparare non dubi-*

Num. 20. *bitat, ut ex ejus Epigraphe apparet elegiacis verſibus ipſimet Romulo inſcripta, & cum aliis Pignæ carminibus edita apud Jolitum anno 1551. pag. 101.*

„ Nec Rhodopen tantùm, nec te ſic, Iſmare, traxit
„ Threicius Vates carmine, & arte chelys;
„ Ut noſtros Amaſæus agros, ſilvaſque ſequentes,
„ Dulcia cum placidis ſolveret ora modis.

Porrò Poeticam artem calluiſſe Romulum, & ſuis etiam Auditoribus tradidiſſe ex titulo lectionum evincitur, qui in Albo Lectorum Bononienſium Romulo præfixus legitur ab anno 1515. ad 1520., & a 1525. ad 1538. = ſcilicet ad Rhetoricam, & Poeſim. =

Nulla tamen, aut certè pauca Romuli Carmina, vel typis impreſſa, vel manuſcripta reperiuntur. Nongentis ipſis heroicis verſibus Leonardi Patrui ſui obitum ab eo celebratum Gregorius teſtatur. Neque verò hujuſmodi verſus in Bibliotheca Ambroſiana, neque alibi, quod ſciam, ullo tempore inventi ſunt. Liceat propterea in tanta Carminum Romuli raritate exiguum, in quod forte incidi, illorum ſpecimen hoc loco proferre.

In Libro de fractura Calvæ Jacobi Berengarii Carpenſis Bononiæ edito per Hieronymum de Benedictis 1518. extat Romuli Amaſæi ſequens Epigramma. =

Fulmine Phœbigeram ſtygias cum truſit ad undas
Juppiter, & fati noluit eſſe fugam;

Lugebat mortale Genus, quòd vincere Parcas
Pæonia nullus jam potis eſſet ope.

Unus ſed noſtras inhibes tu, Carpe, querelas,
Dum capita a lethi retrahis inſidiis.

Ipſa Jovis poterunt in te nil fulmina: vivas
Sub cujus tutus tegmine, Laurus adeſt.

TE-

TESTIMONIA

Juxta ordinem Alphabeticum disposita

IN ROMULI AMASÆI

EJUSQUE FAMILIÆ

Commendationem . .

TESTIMONIUM 1.

D' ABIN ALOYSIUS

Castaneus Rupipuzeus passim vocatus

In Opere, cui titulus

= NOMENCLATOR CARDINALIUM =

Patavii 1616. pag. 128.

Julii III. erga Romulum benevolentia.

JOhannes Maria de Monte Aretinus, ex Archiepiscopo Sipontino Cardinalis, inde Julius Papa III. Viros longè doctissimos in famulitio semper habuit, inter quos Romulus Amasæus . . . . . cæteris antistabat.

Id porrò intelligendum de eo tempore, quo Romulus a Julio III. Pont. Max. Literarum Apostolicarum Scriptor electus est; numquam enim in ipsius famulitio untea fuerat.

TESTIM. 2.

ALBERTUS F. LEANDER

= NELLA DESCRIZIONE D' ITALIA =

Venezia 1553. alla Reg. XVIII. pag. 434.

Anche hanno illustrato essa Città Lappo Turriano, ed Antonio Bredo dignissimi Dottori di Leggi, e Giovanni Candido colli Commentarj delle Istorie di Aquileia, delle quali solea dire Gregorio Amaseo elegante Scrittore aver posto parte della sua fatica in detti Commentarj, e che meritevolmente, cosi come era stato compagno alla fatica, cosi dovea esser compagno nell' onore, cioè quanto al titolo del Libro (A) Fu Gregorio Amaseo uomo di venerabile aspet-

A *Gregorii Amasæi laudes.*

to

TESTIM. 2.

B

Romuli laudes, & Libri a Gregorio ad se missi commemoratio.

C

Opera a Gregorio Amaseo Joanni Candido praestita ad conficiendos Regionis Aquilejensis commentarios.

D

Nihil de ea Opera a Gregorio praestita Candidus memorat in eorumdem Commentariorum editione.

E

Quin & expungit, & praetermittit nonnulla, quae ad Amasaea Familia splendorem pertinent.

F

Gregorii obitus anno 1541.

G

Leander non parum sibi a Gregorio adjumenti allatum fatetur in descriptione Italiae faciendae.

H

Iterum Romuli laudes, & officia ab eo Bononiae suscepta.

I

Amasaeorum Familia Utinum propter civiles Bononiensium discordias translata, Bononiensi civitati denuo restituta.

K

Romuli Opera.

L

Inter ea Aristotelis latina versio nusquam edita, & fortasse Romulo falso adscripta.

M

Pompilii laudes.

to, giocondo, e liberale, alto d' ingegno, et ad ogni generazione di dottrina disposto, onde quasi di ogni scienza talmente parlava, che ciascun rimanea stupefatto per la grande memoria, che in lui si ritrovava. Intendendo da Romolo suo figliuolo (B) bene instrutto nella lingua Greca, e Latina (che leggeva a Bologna con buon stipendio, essendo primo Segretario del Senato) com' io descrivea l' Italia, mi mandò un elegante Libro da Lui fatto, ove copiosamente, ed elegantemente descriveva alcune cose di questa Regione, e tra le altre il Fiume Medoaco, il Lisonzo, et il Timavo, (C) nel qual Libro molto si lamentava di Giovanni Candido, che avesse pubblicato quegli otto Libri dei Commentarj sopra nominati in tal modo, (D) essendo anch'egli a parte della fatica; e maggiormente dolevasi (E) essendovi state detratte alcune cose, che cedevano in onore della sua Famiglia, avvegnachè prima con parole erasi meco doluto di queste cose, onde parendo a me le sue querele esser giuste, anzi giustissime, volendo consignare a ciascuno il suo (quanto però a me appartiene) nominando il Candido, nomino altresì l' Amaseo, intendendo di Gregorio, (F) il quale passò all' altra vita in Udine nel mille cinquecento quarant' uno. (G) Sono molto obbligato a tanto Uomo per le cose a me mandate, che a me hanno dato lume a descrivere questa Regione, e massimamente una Pittura da lui molto artificiosamente fatta; (H) non meno onora questa Patria il suo Figliuolo Romolo di lui, il quale largamente stipendiato dal Senato Bolognese, legge Rettorica, o sia Umanità, (come si dice) con grande audienza de' Scolari, ed eziandio fu Segretario del Senato (secondo dissi). (I) Ha fatto egli riconoscere la sua Famiglia Amasea essere Cittadini Bolognesi da antico fuggiti da Bologna per le Fazioni, e quivi in Udine fermati. Da questo umano, e letterato Uomo gran fama ad Udine. (K) Dimostrano le Opere da lui scritte, ed altresì trasferite di greco in latino di quanta dottrina el sia, e massimamente Senofonte, Pausania, (L) ed Aristotile da lui tradotti, e fatti parlare in latino, che in greco prima parlavano. Se gli aderisce Pompilio suo (M) figliuolo a farsi nominare colle Lettere greche, e latine, che anch' egli è salariato dai Bolognesi per leggere a' Studenti. In esso risplende non meno la umanità, che la dottrina.

BEM-

Digitized by Google

TESTIM. 3. BEMBUS PETRUS.

= Opere del Card. Pietro Bembo =

Venezia 1729. Ex Latinis ejus Epist. Famil. Tom. IV. Lib. VI. pag. 216.

Bononiam

PETRUS BEMBUS ROMULO AMASÆO S. P. D.

Ad xv. *Cal. Sext. M. D.* xxv. *de Noniano.*

Romuli profectio ad Herculem Gonzagam.

..... Sed redeo ad tuas literas, & tibi, ut debeo, gratulor de ea, quam quidem jam video eum juvene nobilissimo, eodemque liberalissimo, omnibusque bonis Artibus dedito Hercule Gonzaga tibi esse benevolentiam constitutam, lætorque invitatum ab eo esse te, ut apud se te esses. Quid enim tu, hoc præsertim æstatis tempore, vacuisque a publico tuo isto docendi munere mensibus facere melius, aut certè delectabilius potes? Tametsi erit tibi habenda ratio cum eorum discipulorum, quos habes domi, tum multò magis etiam suavissimi Pompilii Filii tui, cujus amabile ingenium nunc potissimum institutis, & præceptis erudiri, & augeri debet tuis. Quod quidem & fecisti adhuc diligentissimè, & si tecum illum duces, facere tum quoque poteris fortasse etiam diligentiùs, quàm si esses domi. Discipulis autem tuis te consulere difficilius tibi erit. Sed puto te, pro tua prudentia, satis ei quoque rei occursurum. Itaque probo consilium tuum, deque eo, ac de profectione ista tua volo tibi prosperè, atque felicitèr evenire.....

Pompilii amabile ingenium prædicat.

Romuli diligentiam tum in ipso, tum in aliis discipulis instituendis commendat.

Idem in Epistolis vulgari Idiomate a se conscriptis Tom. III. Vol. 2. Lib. 3. pag. 118. 119.

AL RANNUSIO

A Vinegia 6. Ottobre 1525. *di Padova.*

Si duole del mal regolamento dello Studio di Padova per colpa di M. Marin Giorgio Riformatore, esprimendosi tra l' altre cose, come segue = E quest' anno passato lasciò partir di quì M. Romolo, il quale era più necessario che Lettor, che ei fosse, ed hallosi lascia-

Romuli Amasæi laudes, ejusque a Patavino ad Bononiense Gymnasium regressus anno 1524.

to

TESTIM. 3.

Quatuor tum Literarum Humaniorum Doctores in Bononien. Academia verſabantur.

to torre da' Bologneſi, che ſe 'l conoſcono, ed hannolo ben caro, ancora che aveſſero tre altri Lettori nelle Umane Lettere, ed hannogli tutti molto migliori, che queſto non è, che è ſolo ora quì, il quale neſſuno vuole udire, nè apprender della ſua dottrina. Nè dico ciò, perchè il povero Bezicco non meriti la grazia di quella Repubblica, che la merita, e non ſarebbe ben fatto levargli queſta Lettura, e ſalario, ch' egli ha. Ma dicolo, perchè ſe ne deverebbe almeno avere un' altro, dal qual poteſſero apparar le buone Lettere coloro, che le cercano, i quali allora tutti ſi partirono con M. Romulo: dico gli Stranieri; ed ora ſono a Bologna con lui a gran biaſimo di coteſta Signoria, che non ha ſaputo ritenerſi quì il primo Lettor Umaniſta nella Italia, maſſimamente eſſendo egli di lei uomo, e ſuddito. Oltre che per la partita di M. Romulo alquanti noſtri gentili Uomini, che aveano cominciato ad apparar greco da lui, ſono rimaſi di poter mandar innanzi il loro ſtudio per non aver da chi apprendere....

Magna Scholarium cohors Romulum Bononiam regredientem ſequitur.

Præclara Romuli laudes.

Ex eiſdem Epiſtolis Tom. III. Vol. 3. Lib. 5. pag. 231.

A M. Romulo Amaſeo a Bologna. Di Padova. 23. Settembre 1526.

Romulus a Petro Bembo ad Patavinum Gymnaſium denuo magnis hortationibus invitatus.

Per la morte del Bezicco Monſig. Boldù, ed altri voſtri Amici hanno operato, che ſe vorrete accettare il venire a queſta Lettura, a voi ſarà dato tutto quello, che avea il detto Bezicco, ed alcuna coſa più. Egli avea cento Fiorini. Quantunque per altro buono ordine, che s' è poſto, potrà eſſere, che quelli Signori paſſeranno in onorarvi ancora più oltre, che io non dico. Solo biſogna, che vi laſciate intendere, ſe eſſendo condotto ſete per venirci. E di queſto baſterà, che ce ne ſcriviate una parola, tenendovi certo, che quanto ci ſcriverete, ſarà ſecretiſſimo. Dico queſto per li riſpetti, che io ſo vi debbono muovere a non voler che ſi ſappia, che voi cerchiate queſta condotta. Quantunque voi non la cercate, ma ella v' è proferta, e voluta dare; il che acciò che paja ben fatto ſenza conſentimento, e ſaper voſtro, ed anco acciò abbiate eſcuſazione con coteſti voſtri Signori, ſi giugnerà nella condotta voſtra, che eſſendo voi ſuddito di queſta Signoria, ſiate aſtretto ſotto pene di confiſcazione de' voſtri beni al venire, e così neſſuno vi potrà riprendere. Però vi mando io

TESTIM. 3.

un mio ſtaffiere a poſta con queſte lettere, affine ch' egli mi rechi da voi riſpoſta. Vi ricordo il buono aere Padovano, ed il reo Bologneſe, la grandezza di queſto Studio, e la quiete, il guadagno, che ſenza dubbio farete quì maggiore, il titolo più onorato, e forſe gli Amici voſtri, che per avventura ſono quì più amorevoli, che quelli non ſono, che coſtì avete. Le ſperanze voſtre Romane non ſi perderanno con mandar, quando fia tempo, uno de' voſtri figliuoli a quel Signore, che potrà farvi del bene, s' egli vorrà. Datemi riſpoſta, e ricordivi, che le occaſioni ſono da pigliar, quando vengono, e pigliar ſi poſſono. Se una volta ritornerete qui, non vi mancherà in brieve migliore ſtipendio, e miglior ventura. State ſano, e ſalutatemi la mia gentil Comare Mad. Violante.

TESTIM. 4.

BOCCHIUS ACHILLES.

= SYMBOLICARUM QUÆSTIONUM =

Bononiæ in Ædibus novæ Academiæ Bocchianæ 1555.

Romulus Cardinalis Alexandri Farneſii præceptor.

In Lib. V. Symb. CXXX. pag. 285. *ad Romulum pertinet:* Mens ordem illuſtrat, retinet ſapientia mentem = ROMULO AMASÆO = Hæc eſt lucerna penſilis Farneſii; *necnon Symbolum CXXXI. pag.* 291. Nec vixit malè, qui natus, morienſque feſellit = ROMULO AMASÆO = ΑΑΘΕ ΒΙΩΣΑΣ (*hoc eſt:* occultus vive) *itemque Symbolum CXXXIIII.* Scenæ. quod ajunt, ſerviendum, & tempori = ROMULO AMASÆO AMICORUM OPTIMO = *in quo quidem Symbolo, mutato rerum ſtatu, conſilii, & vitæ mutationem in Romulo probat, & laudat.*

Monetur Romulus, ut novum vitæ genus quietè, & alacritèr obeat.

TESTIM. 5.

CHARISIUS CONSTANTIUS

IN PRÆFATIONE AD EPHEMERIDES PATAVINAS

Franciſci Robortelli editas Patavii.

Modeſtia, & mitis Romulii indoles.

Non ita illic vivitur. Romulus Amaſæus, & Achilles Bocchius, duo Italiæ lumina, conjunctiſſimis ſemper animis inter ſe fuerunt; Sebaſtianus Regulus Vir optimus, & eruditiſs. quando non honorificentiſſimè locutus eſt de Robortel-

TESTIM. 5.

Pompilii laudes.

tello, quando Robortellus non amoris plurimi in illum, & Pompilium Amaſæum, qui ut eſt peritiſſimus Latinarum, Græcarumque literarum, ita in Academia illa multos jam annos magna cum dignitate publicè docet, ſigna dedit?

TESTIM. 6.

CASA JOANNES

= Opere di Monsig. della Casa =

Venezia 1728. *In Vita Gaſparis Contareni Vol. IV. pag.* 119.

Oratio a Romulo habita in obitu Cardinalis Gaſparis Contareni Bononiæ Legati.

Die autem, quæ ſecuta eſt mortem ipſius, funus ductum eſt. Orationem de laudibus ejuſdem, & honeſtè acta cuncta vita habuit Romulus Amaſæus diſertus, & nobilis Orator, qui tunc in ea Urbe, domicilio quodam vetere omnium diſciplinarum, & humaniores literas docebat, & negotia publica Reipublicæ adminiſtrabat. Corpus in Divi Proculi depoſitum eſt.

Idem in eodem Volumine IV. pag. 29.

AD POMPILIUM AMASÆUM

Conſolatur eum de morte Parentis.

In obitu Romuli Amaſæi.

Ne tu immerentem, ne muliebribus
Manes paternos urge ululatibus,
Neu tinge dulcem, qua fruuntur,
Ambroſiam, lacrymis amaris,
Amice. Vixit non ita Romulus
Ut jure luctus, vel querimonia
Poſt funus illum ſubſequatur,
Dura velut mala contigiſſent
Vita cadenti. Reſpice, reſpice,
Qua mente virtus ſit Patris inclyta
Latura Natum ſic remiſſum, &
Turpiter in lacrymis jacentem.

TESTIM. 7.

CORRADUS SEBASTIANUS

= Quæstura =

Bononiæ 1555. *pag.* 8.

Corradus a Goynæi accuſatione ſe vindicat.

Nam quum de Quæſtura ipſa ne verbum quidem feciſſet, calumniatus eſt, me neſcio quid paulò iniquius de Romulo Amaſæo ſcripſiſſe: quem Virum, ne ſim, niſi ita colo, & obſervo,

TESTIM. 7.

ut uni Pompilio filio, præterea nemini, concedam; quod & ipſe agnoſcit, nec jam Goynæus ignorat: qui poſtquam verè cognovit, me alium eſſe, atque ipſe ſibi finxerat, nihil habuit antiquius, quam ut meam ſibi gratiam per communes Amicos conciliaret.

Rem totam narrat Juſtus Fontaninus in Præfat. ad opus Goynæi de ſitu Iſtriæ Vol. VI. parte quarta in Theſauro Antiquitatum Italiæ.

Idem in ſuis adnotationibus ad Epiſt. Cic. ad Atticum. Venet. 1544.

In Dedicatione ad Alexandrum Card. Farn.

Et tu te proximis menſibus Regium Lepidi, ubi nos jam tres annos literas Græcas, & Latinas publicè ſumus profeſſi, cum Paulo III. Pont. Max. Avo tuo, Viro longè omnium ſapientiſſimo, ad Carolum V. Imp. in Agrum Parmenſem colloquii cauſa proficiſcente, contuliſti. Tunc enim, præterquam quòd mihi per otium licuit faciem iſtam tuam planè regiam contemplari, ea de tuis moribus, facilitate, prudentia, juſtitia, liberalitate, cæteriſque tuis virtutibus a M. Antonio Flaminio, & Romulo Amaſæo, Viris mihi, ſine ulla exceptione, laudatis audivi, quæ vel inimicum, nedum me tui jampridem ſtudioſum, ad te amandum, tuamque amicitiam expetendam poſſent commovere.

Romulum laudat.

Deindè in Præfatione.

Non dico quid in ea re ſim conſecutus; illud dico, M. Antonium Flaminium; & Romulum Amaſæum viros optimos, & homines doctiſſimos, mihique ſumma benevolentia conjunctos, ſuperioribus menſibus Regium quum veniſſent Pont. Max. comitati, mihi autores fuiſſe, ut quæ intellexiſſent a me in Epiſtolis ad Atticum interpretandis explicata, ea foras dari ſinerem, nec paterer, quantum eſſet in me, librum longè omnium re vera, & doctiſſimi cujuſque judicio utiliſſimum de manibus hominum, rerum, quæ in eo ſunt, ignoratione, quaſi deponi.

Romuli doctrinam commendat, ſeq. ejus amiciſſimum profitetur.

FLA-

TESTIM. 8.

FLAMINIUS MARCUS ANTONIUS.

CARMINUM

Libri VIII. Patavii 1527. In Lib. I. Od. IX.

Ad Alex. Farn. Card.

Romulo doctrinæ laus, & probitatis tribuitur.

Sit comes Maphæus,
Et Mirandula, Romuluſque, docti
In primis homines, bonique.

In Lib. V. Hendec. XXVI.

Ad Romulum Amaſæum.

Copiam fandi, & omnigenam eruditionem in Romulo prædicat. Majorem Filio auguratur.

Romulo inter arma cum Alexandro Farneſio verſanti bene precatur.

Sic te, Romule, copia beata
Fandi, & omnigena eruditione
Vincat Pompilius tuus; benignus
Sic te ſoſpitet inter arma divum
Rex, oro, mihi mitte crebriores
Poſthac litterulas; nec ullus unquam
Tabellarius huc equis citatis
Currat vindelica profectus ora,
Quin epiſtolium tuo ſodali
Afferat; neque tu quid ipſe Cæſar,
Quid Germania Cæſari reſiſtens
Caſtris oppoſitis gerat, labora
Mihi ſcribere; nec quid ipſe Cæſar,
Nec Germania quid gerat, laboro
Scire: unum hoc mihi noſſe, Amice, cordi eſt,
Ut Farneſius inclytus laborem
Duræ militiæ ferat. Valere
Ipſum dic: nihil ampliùs requiro.

In Lib. VI. Hendec. XXX.

Ad Adamum Fumanum.

De obitu Violantillæ Uxoris Romuli Amaſæi.

Violantillæ obitus, ejuſque laudes cum Romuli laudibus conjunctæ.

Adamus Fumanus Romuli Auditor, illiuſque laudes.

Invitus tibi dico, Adame: noſtri
Romuli periit pudica conjux,
Tam pudica, domuſque tam regendæ
Sciens, tam ſobolis ferax venuſtæ,
Quàm facundus, & Artium eſt bonarum
Doctus qui fuit illius maritus.
Hoc docente bonus Poeta factus,
Oratorque bonus, bonum Magiſtrum

TESTIM. 8.

Conſoleris oportet & ſoluto,
Et junćto pede; ſic levabis ægram
Mentem illius, & eloquentis ipſe,
Et pii ſimul aſſequere nomen.

TESTIM. 9.

FONTANINUS JUSTUS

BIBLIOTECA DELLA ELOQUENZA ITALIANA

Di M. Giuſto Fontanini colle Annotazioni del Sig. Apoſtolo Zeno.

Venezia 1753. *nel Tom. I. La Grammatica pag.* 23.

Romulus ab Achillino contra linguam Hetruſcam diſceptans inducitur.

Annotazioni della volgar Lingua di Giovanni Filoteo Achillino. In Bologna 1536. *La nota di Apoſtolo Zeno porta, che le predette* Annotazioni altro non ſono, ſe non ſe una Satira contra la lingua Toſcana. *Sono fieſe in Dialogo, nel quale entrano a ragionare* Achille Bocchi, Romolo Amaſeo, Aleſſandro Manzoli, e Frate Leandro Alberti.

IDEM FONTANINUS

= L' AMINTA DI TORQUATO TASSO =

Difeſo, ed illuſtrato da Giuſto Fontanini.

Roma 1700. *Cap. VII. pag.* 154.

Opinio Romuli de linguæ latinæ præſtantia quomodo intelligenda, & explicanda.

Che ſe Romolo Amaſeo, Bernardino Partenio, e Raffaello Cillenio valentiſſimi letterati Friulani, e principali mantenitori delle buone Arti nel Secolo paſſato, orarono pubblicamente in pregiudizio della lingua noſtra volgare, come fece anche Pino degli Angeli da Barga, e ſe le ſcriſſero contro Celio Calcagnini, Mario Corrado, Uberto Foglietta, Gabriello Barrio, Bartolomeo Ricci, e Franceſco Florido Sabino, biaſimandola unitamente, come incapace di coſe gravi, tutti a ciò fare vennero indotti dal grande amore, che avevano alla latina, e dal zelo di rimetterla in iſtima contro a quelli, che l'avvilivano. E poi allora la favella toſcana non era giunta a quel ſegno di perfezione, e di conto, nel quale ſi trova al preſente. GOY-

TESTIM. 10.

GOYNÆUS JOANNES BAPTISTA

In Oratione, cui titulus:

Jo. Baptistæ Goynæi Pyrrhanensis Defensio

Pro Romuli Amasæi Auditoribus adversus Sebastiani Corradi calumnias.

Bononiæ 1537.

Epistola ad Priamum Polanum Sebastiani Corradi, ejusque Gregalium scripta contra Romulum memorantur.

Ex Epistola ad Priamum Polanum apparet, non Corradum modo, sed Emissarios quosdam, *ut Goynæus vocat*, & Gregales ejus imperitissimos *contra Romulum, ipsiusque Auditores tum epistolis, tum versificationibus jurgia, & maledicta seciſſe.*

Oratio ad Arnoldum Arlenium.

Ex ipsa autem Oratione ad Arnoldum Arlenium hæc habeto =

Laudes Romuli.

Præceptoris nostri Romuli Amasæi omni eloquentiæ, & sapientiæ laude ornatissimi....

Quæstura Corradi Goynæo a Roberto Cantaino Bononiensi tradita.

In Quæsturam Sebastiani Corradi (*talis enim est libelli inscriptio*) *incidit Idibus Majis, legendamque Goynæo tradidit Robertus Cantainus Bononiensis. Vix unum, aut alterum diem Bononiæ commoratum fuisse Corradum affirmat, cantumque abesse, eum cum Auditoribus Romuli collocutum, ut paucos admodum vix de facie noverit.*

Accusatio Corradi contra Romulum, ejusque Auditores.

Accusatio Corradi, & Assectarum hæc erat = a Romulo, ejusque Auditoribus verborum delectum quæri, rerum cognitionem negligi, in Ciceronis voculis operam, & laborem impendi, omnem sapientiæ curam abjici =

Defensio Goynæi.

Turpem, & fœdam hanc notam Romulo, & Auditoribus ipsius inustam, pro sua in Præceptorem pietate, & observantia, & communi Auditorum gloria, delere Goynæus aggreditur.

Locus accusationis indicatur.

Corradi locum indicat his verbis = Suasero enim, inquit, potiùs, si me consuluerint Romuli Auditores, ut multarum rerum scientiam complectantur, quàm tantopere verborum deligendorum studio teneantur =

Diligentia in delectu verborum utilis, & necessaria.

Diligentiam in quærendis, & deligendis verbis maximè utilem, & necessariam demonstrat.

Alius accusationis locus.

Alium Corradi locum indicat his verbis = Latinus dici malim, quàm Ciceronianus =

Rursum alius.

Alium rursus, ubi ait = cum de Romulo mentionem feciſti, sic audisse te inquis de Bononiensibus, vel externis hominibus, existimare eos

TESTIM. 10.

Romuli Oratio de Pace habita anno 1730. coram Clemente VII. & Carolo V., & illorum Principum laudes, & dona commemorantur.

Romuli Legationes.

Romuli Opera.

Egnatius Corradi præceptor, Romuli amicus.

Recta, & honesta Auditorum Romuli institutio.

Qua ætate hanc Orationem scripserit Goynæus.

Romulus rerum omnium doctrinam eum dicendi copia semper conjungendam existimavit.

Quæstio de Animi æternitate anno 1536. in Bononiensi Gymnasio doctissimè à Romulo pertractata.

Romulum noſtrum ratione, & ſcientia comprehendiſſe omnia, quæ ad artis oratoriæ præcepta pertinerent =

Silentio prætereo illud, quòd apud omnes Chriſtianæ Reipublicæ principes, qui ſuperioribus annis Bononiam convenerunt, ita ſumma eloquentia, & ingenii fama valuerit; ut a Carolo fortiſſimo, ac ſapientiſſimo Imperatore, & Clemente Pont. Max. (quos majeſtatis, & ſanctitatis cauſa nomino) maximis muneribus affectus fuerit; omitto ſummo cum nominis ſui ſplendore toties præclariſſimè geſtas legationes; taceo denique expoliti ſſimos laborum ſuorum fructus in vulgus editos, & memoriæ æternitati conſecratos.

Joannes Baptiſta Egnatius Corradi præceptor, amicus Romuli.

Sunt enim illi omnes (*Auditores Romuli*) ita ab optimo Præceptore inſtituti, & informati, ut numquam alieno nomini detrahant, neminem contemnendum ducant, omnes plurimi faciendos exiſtiment.

Orationem hanc ſcripſit Goynæus necdum xxiii. *annum tranſgreſſus.*

Romulus namque, ut primùm ejus patrocinium, & cauſam tuear, quoad poſſum memoriam pueritiæ ſuæ recordari ultimam, in ea ſemper fuit, & uſque ad hanc ætatem permanſit ſententia, ut mutilam, & mancam, & pſanè puerilem eſſe dicendi copiam putaret, quæ ſejuncta eſſet a rerum omnium divinarum, humanarumque cognitione, quòd animadvertiſſet Vir ille prudentiſſimus, & cum Græcorum, tum Latinorum omnium conſultiſſimus, Ciceronem, Plutarchum, Quintilianum, Baſilium Magnum dicere ſolitos ex rerum ipſarum comprehenſione efflorescere, & redundare orationis facultatem, & copiam.

Hinc immenſa quædam Platonicorum, Ariſtotelicorumque decretorum ſcientia; hinc perobſcuram, & difficilem quæſtionem de Animi æternitate anno præterito in publico Bononienſium Gymnaſio, quò fere fit omnium gentium, & nationum concurſus, graviſſimè, & copioſiſſimè pertractavit, ubi de ſenſibus, & animi facultatibus, de vi, & virtute rationis ipſius, quæ in arce eſt collocata, & ab omni ſejuncta materia, de motuum ſpeciebus variis ex Ariſtotelis, & Ariſtotelicorum, tum ex Platonis, Platonicorumque ſententia latiſſimè diſputavit. Ad hæc de primis ipſis rerum initiis, de cauſis, de tempore, loco, generatione, & interitu, de miſtione, de Mundi conſtitutione, de Stellarum, aſtro-

TESTIM. 10.

Quæstiones aliæ ad universam Philosophiam pertinentes pari eruditione expositæ, atque discussæ.

astrorumque natura, ortu, obitu, progressibus, conversionibus, temporum mutationibus, & varietatibus longissimam habuit orationem; taceo quòd crinitarum Stellarum, trabium, voraginum, stipularum ardentium, cælestis arcus, pruinæ, roris, pluviæ, grandinis, nivis, metallorum, fluminum, terræ, animantiumque terrestrium, maris denique ipsius naturam, & aquatilium est perscrutatus; huc accedit de summo rerum omnium principio Deo optimo maximo, de fato, de providentia, de divinatione, de virtute, de officiis, de summo bono & quæsita, & enucleata dubitatio: in quibus omnibus eruditissimus Vir optimam ætatis suæ partem consumpsit, ut ad Ciceronis scripta intelligenda conferre posset, & cæteris declaranda.

Suam Romulus de sapientia, cum eloquentia conjungenda sententiam, literis consignatam, suis sæpe Auditoribus communicabat.

Romulus Amasæus præceptor noster, qui suis studiosis omnibus adolescentibus intra parietes domesticos sæpe numero communicavit, & legendam suam plerumque tradidit de sapientia cum eloquentia conjungenda sententiam, literis consignatam.

Ex Oratione prædicta ante annum 1537.

ILLUSTRIORES DISCIPULI ROMULI.

Cardinalis Reginaldus Polus.
Cosma Gerius Episcopus Fanensis.
Joannes Cæsius Florentinus.
Ludovicus Beccatellus.)
Ludovicus Lambertinus.) Bononienses.
Marcus Antonius Roscius.)
Magna præterea Germanorum, Gallorum, Pannonum, Sarmatarum, Britannorumque copia.
Pompilius Amasæus filius Romuli.
Bertonus Mutinensis Græcas Bononiæ literas professus.
Adamus Fumanus. (*Vid. de eo Testim.* 8.)
Scipio Blanchinus.

An-

TESTIM. 10.

Anno verò 1537.

Priamus Polanus Tarviſinus Patricius.
Franciſcus Robortellus Utinenſis.
Petrus Angelius Bargæus.
Arnoldus Arlenius.

TESTIM. 11.

GAURICUS LUCAS

= In Tractatu Astrologico =

Venetiis 1552. *pag.* 72. *verſa.*

Romulus Utinenſis Orator facundiſſimus Anno 1489.

24. *Junii hora* 15. *m.* 44.

Natale, Effigies, & Officia Romuli.

Romulus eſt vir macilentus, ſtatura corporis procera, puſillo capite, calvus. In literis Latinis, & Græcis præclarus, Orator, Poeta, Bononiæ fuit Secretarius XL. Senatorum, & artem Oratoriam publico ſalario 300. aureorum conductus profitebatur quolibet anno. Dein nutu Pauli III. ex Lectura in Urbe habebat 600. aureos. Sub Julio III. Pont. Max. anno 1550. habuit Officium Bloſii Literarum Apoſtolicarum Secretarius. Filius unicus ſuperſtes eſt, Orator non inferior Patre, & Bononiæ profitetur bonas literas.

TESTIM. 12.

JOVIUS PAULUS

= Histor. sui temporis =

Florentiæ 1550. *Lib.* 27. *pag.* 85.

Oratio Romuli de Pace coram Clemente VII., & Carolo V. recitata.

Nec multò poſt Calendis Januarii ſolemni adjecta precatione Sacra peraguntur, ab incredibili hominum frequentia exoptatum afflictis Italiæ populis inſperatæ pacis nomen excipitur. Præſentes Clemens Pontifex, & Carolus Cæſar orantis Romuli Amalæi viri eloquentiſſimi voce Chriſtiani nominis conſervatores, ac optimi maximi Italiæ parentes appellantur.

MON-

Digitized by Google

TESTIM. 13.

MONTFAUCON P. BERNARDUS

= BIBLIOT. BIBLIOTHECARUM =

Parisiis 1739. *Tom.* 2. *pag.* 1139.

Gregorii Amasæi Descriptio Italiæ ad Leandrum Bononien.

*Inter Mss. Bibliotheca S.Germani Cod.num.*850. Gregorii Amasæi descriptio Geographica Italiæ, & Provinciæ Forojulienſis ad Leandrum Bononienſem.

TESTIM. 14.

DE MONTIBUS CARD. PHILIPPUS

= IN ELOGIIS S. R. E. CARDINALIUM =

Roma 1751. *num.* 118.

Oratio a Romulo habita in funere Cardinalis Contareni.

Dixit in ejus (*Gaſparis Contareni*) funere Romulus Amaſæus, cui in tanto Cardinali nulla laudis argumenta defuerunt.

MOROFIUS

TESTIM. 15.

= DE EPIST. INEDITIS ERUDITORUM =

Lubecæ 1747. *Lib.* 1. *Cap.* 25. *num.* 38. *pag.* 316.

Romuli Amasæi Epiſtolæ inedita.

Ejus in latinis literis præſtantia, & fama.

In Bibliotheca Gudiana Morofius narrat olim extitiſſe mſs. Epiſtolas Fr. Citerei, item Bembi, Lazari Bonamici, Romuli Amaſæi, quorum magna ſuo tempore in latinis literis gloria fuit; horum enim cura, & induſtria res literaria crevit; eorum exemplis, & præceptionibus præcipuè ad eloquentiæ ſtudia incitati ſunt, qui poſtea ad hæc animum applicuerunt.

TESTIM. 16.

MURATORIUS LUDOVICUS ANTONIUS

= IN VITA CAROLI SIGONII =

Operibus ejus præpoſita Mediolani editis 1732. *Tom.* 1. *pag.* 7.

Lis inter Sigonium, & Robortellum oborta de Auditorii ſortitione. Hanc litem Sigonius dirimit, locum eligens, in quo Romulus Amaſæus olim docuerat.

Nec mora: inter æmulos iſtos (*Robortellum ſcilicet, & Sigonium*) oborta lis eſt de ſortitione Scholæ, ſeu Auditorii, quam Sigonius a Rectoribus Gymnaſii rogatus indulgentiſſimè compoſuit, locum eligens, in quo olim Romulus Amaſæus docuerat, pari tamen cum æmulo dignitate.

Idem

TESTIM. 16.

Idem in eadem Vita pag. 11.

Ex Friderici Cardinalis Borromæi Mediolanen. Antiſtitis Lib. 1. Cap. 1.

= *De fugienda oſtentatione* =

quæ ſequuntur exſcripſit.

Academia ad Hortos Julianos.

Nobilis item Academiæ veſtigia cernuntur in Julianis hortis, in quorum ingreſſu marmorea Tabula titulum Academiæ præfert. Is ſanè titulus, eaque Tabula declarat ingenio fuiſſe elegantiſſimos homines. Sed qui tandem fuerint, multum perveſtigando reperire non potui. Conjectura tamen illuc inclinat, ut ſcriptas eſſe leges credam ab Romulo Amaſæo, qui Julii III. Scriba intimus fuit, eumque Virum Fulvius Urſinus magnopere commendabat.

Ejus Academiæ leges a Romulo Amaſæo ſcriptæ cenſentur.

Tabula adhuc ſervatur, & Leges ſunt hujuſmodi, ibi ſic planè, ut infra, deſcriptæ.

Deo, et Loci Dominis volentibus.

Hoc in ſuburbano ſi non quot in Orbis
At quot in Urbis ſunt ambitu pulcherrimo ad hones
tam potiſſime voluptatem facto honeſte voluptu
arier cunctis fas honeſtis eſto. Sed ne forte quis
gratis ingratus ſit juſſa hæcce ante omnia omnes
capeſſiunto.

Quovis quique ambulanto. Ubivis quieſcunto: verum
hoc citra ſomnum circa ſepta illud

Paſſim quidlibet luſtranto: Aſt ne hilum quidem
uſquam attingunto.

Qui ſecus faxint quidquamve clepxerint rapte
rint non jam ut honeſti moribus ſed ut furtis onuſ
ti in crucem peſſumam arcentor

Ollis vero qui florum frondium pomorum olerum
Aliquid petierint villici pro anni tempore pro re
rum copia & inopia proque meritis cujuſque largi
untor.

Aquam hanc quod virgo eſt ne temeranto ſitimque
fiſtulis non flumine poculis non oſculo aut vo-
lis extinguunto

Piſcium luſu oblectantor cantu avium mulcentor
At ne quem interturbent interim cavento

Signa ſtatuas lapides picturas & cetera totius
Operis miracula quamdiu lubet obtuentor dum
Ne nimio ſtupore in ea vertantur

Si

Digitized by Google

Si quid tamen haud ita mirum videbitur eorum
causſa quæ nemo mirari ſat quivit æquo potius
ſilentio quam ſermonibus iniquis præterito.
Dehinc proximo in templo Deo ac Divo Andreæ
gratias agunto vitamque & ſalutem Julio III. Pont.
Max. Balduino ejus fratri & eorum familiæ Uni
verſæ plurimam & æviternam precantor
Huic autem ſuburbano ſpeciem atque amplitudinem
pulchriorem in dies majoremque ac in eo quidquid
ineſt felix fauſtum perpetuum optanto
Hiſce actis valento &
ſalvi abeunto.

In illius Tabulæ proſpectu alia extat Tabula cum ſequenti, prout ponitur, inſcriptione.

JULII III. PONT. MAX.
AUSPICIO.

BALDUINUS Ejus Frater Prædiolum Suburbanum
Prope Flaminiam Ab Antonio Patruo Cardinale Olim
Animi Cauſſa Comparatum Sylva Hortis Villis Vinetiſq.
Contiguis Et Cujuſvis Plantar. Generis Numero Pene In
finito A Se Auctum Novoq. Ac Politiore Cultu Nullo Non
Loco Directum Atq. Illuſtratum Aqua Virgine Et Fontib.
Saluberrimis E Latebris Terræ Inacceſſis Non Minus Ad Com
mune Omnium Quam Ad Privatum Commodum In Lucem Edu
ctis Undique Irriguum Factum Salientibus Piſcina Aviario
Atq. Hoc Quaſi Theatro Admirabili Picturæ Statuarum
Emblematum Splendore Conſtructis
Temploq. In Primis Deo Opt. Max. Ac Divo Andreæ
Ab Ipſo Julio Pontifice
Erecto Atque Dicato
Sibi Innocentio Cardinali Et Fabiano Comiti
Filiis Et Eorum Poſteris In Amplitudinem Et
Auguſtiorem Formam Redegit.

Prædium Autem Hoc Ipſum Ac Quidquid Uſpiam In Eo
Ortum Cultum Structum Ampliatum Ornatum Vel In
Præſenti Eſt Vel Erit In Poſterum Sive Totum Seu Ali
qua Ex Parte Cujuſquemodi Et Quantulaeacunque Fuerit
Præter Ipſos Fructus
Uti Nullo Prorſus Pretio Nullo Pacto Nullo Jure
Cuiquam Unquam Alicubi Vendi Obligari Donari Ali
ove Quovis Modo Alienari Poſſit Teſtamento In Per
petuum Ab Eodem Balduino Omnibus
Eſt Interdictum
Ne De Nomine Exeat Familiæ Suæ.

Ex

TESTIM. 16.

Ex iisdem pariter Lib. & Cap. hæc pariter, quæ sequuntur, descripta sunt.

Academia Convivalis Bononiæ.

Recentior fuit Academia Bononiæ, quam Convivalem appellavere. Nobiles, & literati Urbis illius homines eam obtinebant, atque Academicorum nomina hæc manent = Franciscus Bolognettus, Camillus Palæottus, Fabius Albergatus, Plinius Tomacellus, Lucius Madius, Federicus Pendasius, Carolus Sigonius, Pompilius Amasæus, & alii = Modestè epulabantur, solutoque convivio schedæ dividebantur inter eos, complexæ quæstiones elegantissimas, quas postea, ut cuique contigerat, diserte tractabant; magnusque concursus ad audiendum fiebat.

Academicorum nomina.

In his Pompilius Amasæus.

Academiæ institutum.

Utriusque Academiæ, Romanæ scilicet, & Bononiensis, pariter meminit

Franciscus Xaverius Quadrius

In Vol. I.

Della Storia, e Ragione d' ogni Poesìa.

Bononiæ edit. 1739. *pag.* 56., & 97.

TESTIM. 17.

MURETUS MARCUS ANTONIUS

= ORATIONUM =

Roboreti 1737. *In Oratione* xvi. *habita Romæ Prid. Non. Nov.* 1582. *Vol. II. pag.* 286. cùm interpretari inciperet Epistolas Ciceronis ad Atticum.

Romuli Laudes, in Urbe docentis.

Non ita multò post magno in pretio fuerunt duo hujus facultatis præcipui Doctores, Patavii quidem Lazarus Bonamicus, in hac autem Urbe Romulus Amasæus; quorum in illo fœcunditatem ingenii admirareris, diligentiam, & accurationem requireres; in hoc nihil admodum, quod ad boni, & ex omni parte perfecti Doctoris commendationem pertineret, desiderares.

RIC-

TESTIM. 18.

RICCIUS BARTHOLOMÆUS

= De Imitatione =

Venetiis 1545. *In Lib. II. pag.* 28.

Duplicem Romulus & dicendo, & docendo laudem assequitur.

Qui autem & dicendo, & docendo duplicem hanc laudem assequuntur Joannes Baptista Egnatius, Pierius Valerianus, Romulus Amasæus &c.

Et paulo infra = Cum non desint tamen neque Viri complures alii, neque etiam optimæ spei adolescentes, qui in ea sustinenda, & fortasse ad suum summum extollenda (*eloquentia*) optimam operam navare possint, in quibus Pompilius Amasæus ..... qui dicendo Parentem optimum refert =

Pompilius Amasæus dicendo Romulum refert.

Et pag. 35. = Romulum Amasæum, quem Virum jam sæpius honoris causa nomino, cum Bononiæ ejus Auditor essem, in hoc genere studii sum admiratus. Nam quoties inter explicandum, ita ut fit, historiæ pars aliqua in præsentem partem incidisset exponenda .... si eam tamen ex aliquo Scriptore minùs eleganti ..... sumptam habuisset, quantùm eam, cum aptè instituendo, tum omni elegantiæ splendore illustraret, atque componeret, dici non potest.

Bartholomæus Riccius Romulum Bononiæ audierat.

Historias Romulus ex aliquo minus eleganti Scriptore sumptas aptè explicat, & eleganter illustrat.

IDEM RICCIUS

= In Epist. Familiaribus =

Bononiæ 1560. *in Lib.* 3. *pag.* 41., *&* 42.

Tres extant ad Romulum datæ, in quibus mutua inter ipsos apparet benevolentia; nihil præterea memoratu dignum apparet, nisi forte in tertia, cujus initium = Gratulor tibi, Romule, *in qua de dignitate in eum collata Riccius gratulatur his verbis* = Tu verò incumbe, mi Romule, in istam curam, hoc est Farnesio tuo, quod facis, omnem operam da, uni illi te te addicas, studeasque. Nam omnem tuam fortunam in ejus manibus positam esse video, quam etiam Pont. Max. efficere possit, quem spero tibi quoque ex ejus fortunæ fecundissimis fluctibus, quantum satis sit ad navem tuam in portum feliciter impellendam, non esse negaturum, quodque hactenus tua virtute ductus in te exornando tibi præstitit, sua posthac constantia, quod restat ad eamdem dignitatem tuam cumulatè illustrandam, libentissimo animo collaturum.

Romuli Officium apud Cardinalem Farnesium,

Non sine spe ampliotis, & illustrioris fortunæ.

SA-

TESTIM. 19.

SABELLICUS M. ANTONIUS

=OPERA OMNIA=

Basilea 1560. *In Vol. III. Tom. IV. Lib. X. pag.* 449.

M. Ant. Amasæis Fratribus.

Gregorio, & Hieronymo Amasæis Fratribus de accepta poetica laurea gratulatur, & ipsorum carmen commendat.

Gratulor vobis, quod ambo poeticam lauream adepti sitis: cupio decus istud vobis in dies augeri. Vestrum carmen frequenti Juvenum Cœtu recitandum curavi: adjeci judicium meum, ut major rei auctoritas accederet: estque laudatio secuta incredibili omnium, qui aderant, assensu. Hæc scripsi, ut intelligeretis quàm vestra laus sit mihi curæ: vos verò enitamini, ut ii demum sitis, quibus non modò is honor meritò contigerit, sed qui multò etiam majora mereamini. Valete.

In Lib. XII. Vol., & Tom. ut supra; pag. 470.

M. Ant. Amasæis Fratribus.

Sua quædam poemata memorat, in quibus Utinum laudaverat, ubi Amasæos Fratres natos, & institutos esse declarat.

Dum omnia omnibus concedo, quæ mea sunt sæpiùs desidero: sæpiùs dixi, sed semper verè dixissem; desunt mihi frequenter & multa, & magna. Et nunc unum deest; id etsi leve, & quod mirari possit aliquis usui fuisse cuiquam, deest tamen. Sunt hæc poemata, quæ de cæde Sontiaca, de Incendio Carnico, de Hunnii origine scripsi, quum apud vos publicè profiterer. Est, quis non videt? res parva, & omnino indigna, quæ ullum sortita sit locum in vestra ornatissima Bibliotheca. Verùm quia ejus sit Terræ laudes complexa, quæ vos genuit, aluit, instituit, digna videri potuit, quæ vestris liminibus non excluderetur. Si carmen apud vos est, pergratum mihi erit, si per Marium puerum meum, qui hoc vobis attulit epistolium, ad me id miseritis, confestim istuc recursurum: aut, si diutiùs hic erit, tanquam si in quæstum exierit, ad vos cum lucro rediturum. Valete.

SA-

Digitized by Google

TESTIM. 20.

SADOLETUS JACOBUS

= OPERUM OMNIUM SADOLETI =

Verona 1738. *in Tomo secundo ex Lib. Epist. XVI.*

TERTIA.

Jacob. Sadol. S. R. E. Card. Romulo Amasæo S. P. D.

Cardinalis Sadoleti summa erga Romulum benevolentia.

Medicina Studium Bononiæ perficitur.

Venienti istuc Jacobo Bordingo, qui Scholæ Carpentoractensi triennium præfuit, optimo Viro, & Græcis, Latinisque Literis eruditissimo, non potui nihil ad te Literarum dare, tum ut commendarem tibi hominem, quem medius fidius ego singulari benevolentia complector, tum etiam tu ut agnosceres memoriam me tui cum summa item benevolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, ut quoniam dedit aliquot annos Medicinæ operam, id studii, & laboris in ista Urbe perficiat, Doctorumque judicio statuatur dignus, qui ipse quoque possit eam civibus suis Artem, & Scientiam profiteri: quod illum magna cum ingenii, & doctrinæ laude adepturum esse confido. Nunc, etsi non dubito, mi Romule, quin quem a me & diligi, & probari intelligis, eum sis tuis studiis, atque officiis omnibus prosecuturus, tamen sic volo te existimare, vix quemquam inveniri posse, in quo tua mihi officia accidere possint gratiora, quàm in Bordingo, cui omnibus de causis meritò amicissimus sum, cupioque eum quammaximè & celebrari, & ornari. Quod tu præter cæteros egregiè mihi præstare potes, qui præes Bononiensi juventuti, & elegantibus ingeniis dominaris in ea Urbe natis, e qua eruditio, & optimarum Artium disciplina in has transalpinas nationes dimanasse creditur. Porrò.... Vale mi Romule.

Carpent. iv. Cal. Oct. 1540.

TESTIM. 21.

SERO JOANNES ANTONIUS

= Ex Epistolis facetis =

A Franciſco Turchio collectis

Venet. 1575. *In Lib.* 2. *pag.* 246.

Epiſtola nonageſima octava Joannis Antonii Seronis ad Comitem Marcum de Tiene, ſcripta (ut opinor) Romæ circa annum 1548. *Romuli mentionem facit his verbis* = M. Romolo è ſano, e ſi duole non ſo di chi, nè di che. A quel ch' io poſſo comprendere, è tuttavia il cambio di Bologna con Roma, ma nè anco in queſto gliela ſo buona, perchè qui c' è ſtato qualche ricompenſa, e c' è di più la ſperanza, della quale molti d' inquieto ſpirito, voglio dire ambiziоſo, ſi ſariano paſciuti, e mantenuti allegramente, non ſolamente eſſo, che al mio parere par che abbia niente più caro al Mondo di quel ſuo dolce ridotto, e che gli ſi poſſa dire:

Pater ipſe latinus
Abdit ſe tectis, rerumque relinquit habenas, =

Academiam a Romulo Romæ inſtitutam hæc Seronis Epiſtola videtur innuere.

Credo, che ſe la Signoria Voſtra veniſſe, rimettendoſi ſu l' Accademia, il padre riſuſciterebbe, et ſarebbe più che mai feſtevole al ſolito delle noſtre cene, che mi muoro di voglia di ſedere al mio terzo luogo, e ſatollarmi un tratto il mele di que' divini ragionamenti non lunghi, nè brevi, ma diſteſi, e dotti abbaſtanza..... =

In eodem Lib. pag. 257.

Centeſima quarta ejuſdem Seronis ad Fernandum Turrium data Neapoli 1552. *de Romulo tota loquitur, & meo quidem judicio digna eſt, quæ tota pariter exſcribatur* =

Tres Romuli Epiſtolæ a Serone collectæ, & ad Fernandum Turrium miſſæ.

Mandovi tre Lettere di M. Romolo, che ſono non men belle della latina. (*Ea ſunt, quas indicavi ſub num.* 10. *inter Op. Ed. Romuli.*) Nell' una dichiara: parco, & ignoſco, indulgeo, veniam do. Nell' altre parla di ſuo ſtato, e d' Egeria, nome finto di una Donna, della quale, per dire a V. S., (che pur dovemo riſpettare quel ſacro nome) era non ſo in che modo platonicamente acceſo, e meco ſe ne fidò amiche-

TESTIM. 21.

chevolmente, a modo di Socrate, non a fine lascivo, che ne posso far buona fede, ma per dare esempio a me, ed agli altri giovani; perchè in bellissimo modo il fine de' nostri ragionamenti terminava in dolce riso, riprendendo se stesso talvolta di niuna sua colpa, et soleva dir pur ridendo: questa bestia di amore si vuol cavalcar senza sprone, e col freno in mano, perchè altrimenti si gitterebbe in un tratto. Misterioso era, e di prudente avviso, ed utilissimi erano i suoi ricordi. Così piacesse a Dio, che ora fosse egli vivo, ed amasse con tutti i sensi. Come si sia, penserei, che vedendosi anco con quella parte d' Egeria, non gli sarebbe imputato ad indecoro, nè biasimo. Sed hæc tu videris, & Athanasius noster. Mi avviserete del suo Pausania, e delle Epistole, le quali non sono da desiderare con mediocre affetto &c.

Romuli obitus indicatur.

VALERIANUS PIERIUS

TESTIM. 22.

= In Hieroglyphicis =

Basilea 1556. In Dedicat. ad Romulum Amasæum Lib. VII.

Sed næ ego ineptus, qui super his apud Romulum Amasæum eruditissimum, eloquentissimumque Virum disseram. Sed enim dabis hoc amicitiæ nostræ, ut etiam liceat ineptire, deque iis sermonem facere, quæ tu decies in anno longè disertiùs, & eruditiùs e suggestu publico docere soleas.

Eruditio, & doctrina Romuli.

Et in Lib. XXXI. ad Cosmum Gerium:

Ego tamen, etsi te nostris nihil indigere existimabam, quem uniuscujusque doctrinæ præceptis, & institutis abundare oportere persuasum habebam, qui apud eruditissimum Romulum Amasæum tota educatus adolescentia . . . . .

Digitized by Google

TESTIM. 23.

VARCHIUS BENEDICTUS

= ERCOLANO DIALOGO =

Padova 1744. pag. 348.

Romulus latinè ſcribendi peritiſſimus.

Che ben ſo, per tacere di coloro, che ancora vivono, che oltra il Bembo, il Sadoleto, il Longolio, il Polo, e alcuni altri, Meſſer Romolo Amaſeo, e Meſſer Lazaro da Baſciano, e alcuni altri ſcrivevano bene, anzi ottimamente, la lingua Latina.

Et pag. 445., e 446.

Romuli opinio de latina lingua ſupra vulgarem præſtantia, eaque de re gemina Orationes ab illo Bononiæ habita.

Io mi ricordo aver ſentito dire più volte dal Conte Domenico mio Zio d' onorata, e felice memoria, che Meſſer Romolo Amaſeo, il quale era, come ſapete, Uomo dottiſſimo, ed eloquentiſſimo, quando Carlo V., e Clemente VII. s' abboccarono la prima volta in Bologna, che fu nel XXIX., orò pubblicamente due giorni alla fila acerbiſſimamente contra la Lingua volgare, ma non ho ora a mente, ſe non due delle ſue concluſioni V. Qual' è la prima? C. La prima è, ch' egli voleva, che la lingua volgare quanto al parlare s' uſaſſe nelle Ville, fu pe' Mercati co' Contadini, e nelle Città co' Bottegai, e in ſomma colla plebe ſolamente; e la latina co' Gentiluomini. E quanto allo ſcrivere, che le coſe baſſe, e vili ſi ſcriveſſero in volgare, e l' alte, e gravi latinamente, e molto ſi compiaceva, e ſi paoneggiava in queſta ſua nuova opinione. Che ne dite voi? V. Io ho letto, e conſiderato coteſte due ſcuole, che così ſi chiamano latinamente; e nel vero, quanto alla eloquenza, e all' arte, elle ſono belliſſime, e degne d' ogni lode, ancorachè gli foſſe riſpoſto; e perchè egli era Uomo di gran giudicio, non credo ch' egli credeſſe quello, che moſtrava di credere, ma fece, e diſſe tutto quello, che ricerca l' arte oratoria, che fare, o dire ſi debbia; e parlandone io, quando fui in Bologna, con Meſſer Pompilio degniſſimo figliuolo di cotal Padre, moſtrava, che l' intendeſſe ancor egli così.

Quibus Orationibus reſponſum eſt.

Virtutem Artis, ac dignitatem, non rei veritatem, in illis a Romulo ſpectatam eſſe ex Pompilii teſtimonio dubitat Varchius.

ZE-

TESTIM. 24.

ZENUS APOSTOLUS

Nelle ſue Annotazioni

ALLA BIBLIOTECA DELLA ELOQUENZA ITALIANA

Di Monſig. Fontanini.

Venezia 1753. *Tom. II. pag.* 50. 51.

Hieronymi Mutii Orationes tres pro Italica Lingua ſcriptas eſſe contra Romuli Scholas duas = De uſu latinæ linguæ retinendo = *omnino liquet, tametſi Romuli nomen in illis nuſpiam appareat.*

Non due, ma tre ſono i Libri, o piuttoſto = Orazioni = del Muzio (Jeronimo) in difeſa della volgar lingua ſtampati nelle ſue Battaglie (In Venezia 1582.) *pag.* 155. 177. 197., le quali ..... Vero è, ch' egli ſi guardò dal nominare in eſſe Orazioni l' amico Amaſeo, contro del quale in riſpoſta alle due Scuole latine le ſcriſſe; ma la maniera, con cui lo prende di mira, e lo va a paſſo a paſſo confutando, dà facilmente a conoſcere non eſſere il ſuo taciuto avverſario altri, che l' Amaſeo; imperciocchè di qual' altro può intenderſi ch' egli dica, ſe non dell' Amaſeo, quel tanto, che ſul bel principio della prima Orazione ſi legge (*pag.* 155.) Sono ſtati alcuni del nome Italiano, i quali (non ha gran tempo) nel bel mezzo d' Italia con tutti i loro ſtudj, e con tutte le loro forze ſi ſono ingegnati, e affaticati di cacciar dal Mondo queſta dolciſſima noſtra materna, ed Italica lingua; e ciò hanno eſſi fatto nel coſpetto di due principali lumi della Criſtiana Repubblica, e d' infiniti nobiliſſimi, e dottiſſimi Uomini, quaſi di tutte le parti di Europa: dalle quali circoſtanze coſa ſi raccoglie a tutti notiſſima, che l' Amaſeo recitò quelle due Scuole latine in difeſa della lingua latina contra la volgar noſtra nella Città di Bologna poſta nel bel mezzo d' Italia, nel coſpetto di due principali lumi della Criſtianità, cioè di Papa Clemente VII., e dell' Imperator Carlo V., che allora in Bologna erano convenuti, e però in tale occaſione vi erano concorſi infiniti nobiliſſimi Uomini quaſi di tutte le parti di Europa.

A. M. Romolo Amaſeo egli bensì (Il Muzio nell' Arte Poetica ſtampata in Venezia per Gabriello Giolito 1551.) indirizza la quarta Egloga delle Varie, le quali formano il quinto

TESTIM. 24.

Idem Mutius Romulum de Græca, & Latina Lingua præstantia commendat.

to Libro. In detta Egloga il Muzio dà gran lode all' Amaseo per la eccellenza nelle lingue greca, e latina, delle quali era Professore in Bologna; ma nel medesimo tempo gli raccomanda di non aver in disprezzo la natia sua volgare:

Ne verò Italicam parvi faciat, hortatur, & ut se erga illam mitiorem præbeat, rogat.

Dotto Pastor, che con tue dolci note
Ne ritorni a memoria il Secol prisco,
E la sacrata Dirce, e 'l chiaro Tebro
Desti sonando in riva al picciol Reno,
Ove cortesemente hai fermo il piede,
Perchè più agevolmente Italia tutta
Di te si goda: il tuo patrio Idioma
Non sdegnar, buon Pastor, e quegli accenti,
Che già suggesti infin col primo latte
Dalle poppe materne, e 'n che la lingua
Prima scioglisti, alquanto più benigno
Raccogli or meco.....

AP-

APPENDIX MONUMENTORUM

AD ROMULUM AMASÆUM

EJUSQUE

FAMILIAM

SPECTANTIUM

PARTIM BONONIÆ

EX ARCHIVO PUBLICO

EX SECRETIORE TABULARIO SENATUS

EX INSTITUTI SCIENTIARUM ET ARTIUM

BIBLIOTHECA

PARTIM MEDIOLANI

EX BIBLIOTHECA AMBROSIANA

PARTIM ROMÆ

EX ARCHIVO VATICANO

DESCRIPTORUM.

Digitized by Google

AUCTORIS MONITUM.

Etiamſi non omnia, quæ infra deſcripta ſunt, Monumenta ad Romulum Amaſæum, ipſiuſve Familiam propriè, & directè pertineant; quoniam tamen ad ea tempora, quibus vixit Romulus, referuntur, & aliquam habent cum Vita, rebuſque ab illo geſtis conjunctionem, exſcribere, & proferre ſingula, prout in Notis præcitata ſunt, haud incongruum judicavi.

MONUMENTA

EX ARCHIVO PUBLICO BONONIÆ.

MONUM. I.

= Nello Studio Alidosi =

Nel Libro

Delle Armi delle Famiglie.

Insignia Familiæ Amasæa.

Vedesi al Foglio 4. l' Arme della Famiglia Amasei, che contiene uno Squadro nero in Campo giallo con sopra un' Aquila gialla in nero.

MONUM. II.

Di contro al sopraddetto Stemma della Famiglia leggonsi le seguenti notizie.

Vetustissima ejusdem Familiæ Monumenta, ejusque denominatio.

Amasei. Pompilio, e Giacomo Amasei in favore del Re Carlo 1283.

Dicono, che Amaseo Asinelli fu discacciato del . . . . . e si fermò in Udine, e dal Nome proprio venne il Cognome.

MONUM. III.

Nel Vacchettino 501.

= Del detto Studio =

Dos Violantæ Hieronymi Guastavillani Filiæ, & Romuli Uxoris.

Al foglio 21. *s' enunzia pure*: Una Compra di Angelo Michele Guastavillani di Girolamo da Romolo Amasei Secretario del Reggimento, e la Dote di Violante di Girolamo Guastavillani Moglie di Romolo Amasei del 1533. Rog. di Virgilio Gambalunga,

MONUM. IV.

Nel Vacchettino decimo ottavo.

= Delle Notizie di detto Alidosi =

Cælius Amasæus Institutionum Lector in Bonon. Gymnasio.

Al foglio 69. *notasi* Celio Amasei fra Legisti del 1538. *La quale indicazione concorda* col Rotolo del detto Anno *esistente fra gli altri in questo pubblico Archivio, ove leggesi ciò, che segue:*

= Ad Lecturam Institutionum =
= D. Cælius Amasæus =

Nel

MONUM. V.

Nel Vacchettino 496.

= Dello Studio Alidosi =

Eleonora, & Helena Romuli filiæ in Sacro Monialium S. M. Novæ Cœnobio locatæ.

Al foglio 41. leggonsi enunziate le Doti Monastiche di Eleonora, e di Elena figlie di Romolo Amasei Secretario del Reggimento, Suore di S. Maria Nuova del 1542. per Rogito di Virgilio Gambalunga.

MONUM. VI.

Nel Libro 136.

= De' Registri degl' Instrumenti =

Lucia Romuli filia, Polidori Benazzi Uxor.

Trovasi al foglio 64. Un' Assoluzione di parte della Dote di Lucia figlia di Romolo Amasei Moglie di Polidoro del quondam Ser Vincenzo Benazzi per Rogito di Gristofaro Zillini, seguita li 7. Gennaro 1550.

MONUM. VII.

EX SECRETIORE TABULARIO

Illmi, & Excelsi Bononiæ

SENATUS.

In Libro, cui titulus

= Mandatorum =

1531. 1538. *num.* 27. *fol.* 40.

Diploma civitatis nobilis Bononiensis favore Familiæ Amasæa jure postliminii expeditum.

Franciscus Guicciardinus J. U. D. Rmi, & Illmi in Christo Patris, & Domini, D. Innocentii Miseratione Divina S. Mariæ in Dominica Diaconi Cardinalis Cybo nuncupati, in Civitate Bononiæ, & Exarchatu Ravennæ, ac tota Provincia Romandiolæ pro SSmo D. N. PP., & Sede Apostolica Legati de Latere Vicelegatus, & Gubernator Apostolicus. Dilecto Nobis in Christo (A) Gregorio Amasæo liberalium Artium, ac J. U. Doctori Laico Utinensi quondam Joannis Amasæi Nobilis Utinensis, ipsiusque Gregorii filio Romulo, nec non Pompilio, & Theophrasto ejusdem Romuli filiis, ac insuper Cælio Jur. Scholastico quondam Hieronymi liberal. Artium, ac Medicinæ Doct. fratris præfati Gregorii, Salutem in Domino sempiternam.

A

Gregorius Amasæus, Romulus, Pompilius, Theophrastus, & Cælius civitatem prædictam postulant, & consequuntur.

Exi-

MONUM. VII.

B

Bonacossa Masii Pater Nobilis Bononiæ Civis ex origine propria paterna, & avita, & ultra.

C

Masius ob gravissima bella Bononia excedit.

D

In Forum Julii ad Civitatem Utinensem migrat.

E

Ibi ducentum vigintiquinque annos cum Sobole, & Descendentibus commoratur.

F

Ex Masio Henricus, ex quo Dominicus, ex quo Joannes, ex quo Gregorius ex quo Romulus, ex quo Pompilius, & Theophrastus, & ex Hieronymo Gregorii fratre Cælius.

G

Hæc Familia pro Nobili Utinensi Familia recognoscitur, & appellatur.

H

Ejus Familiæ primaria Patria, e qua originem duxit, Bononia est.

I

Ex dicto Masio Filii, ac Descendentes Amasæi vocati sunt.

L

Romulus nobilem Bononiæ Civem Uxorem duxit, e qua Pompilium, & Theophrastum filios, pariter Bononiæ, suscepit.

M

Humanitatis studia per annos jam viginti & unum in publico Gymnasio profitetur.

N

Primarius Bononiensis Senatus a Secretis.

Exigit vestræ devotionis affectus, quem ad Sanctam Romanam Ecclesiam, illiusque Statum, ac Sedem Apostolicam gerere comprobamini, ut votis, & petitionibus vestris favorabiliter annuentes, vos Civis nomine, & titulo hujus inclytæ Civitatis Bononiæ decoremus. Sanè nobis nuper pro parte vestra exhibita petitio (B) continebat, quòd, cum olim Masius quondam Bonacossæ de Bononia, qui dum in humanis ageret, Nobilis ex origine propria, paterna, & avita, & ultra, Civis Bononiæ fuerat, (C) a dicta Civitate ob bella tunc gravissima extorris in Forum Julii ad (D) Civitatem Utinensem tranmigrasset, ubi per spatium (E) circiter ducentorum, & viginti quinque annorum unà cum Sobole, & Descendentibus moram traxit: (F) ex quo Masio inter alios ejus Liberos,& Descendentes ordine successivo Henricus filius, ex quo Leonardus, ex quo Dominicus, ex quo Joannes, ex quo tu, Gregori, ex quo tu, Romule, ex quo vos, Pompili, & Theophraste, nec non ex prædicto Hieronymo Doctore tu, Cæli, omnes planè virtutibus, disciplinis, ac liberali indole præditi, quique (G) ex nobili Familia Utinensi procreati extitistis: quapropter desideraretis ad præfatam Civitatem Bononiensem, (H) quæ patria vestra primaria, ex qua, ut supra, oriundi fuistis, extitit, jure postliminii redire, & ad illam restitui, ac de cætero in ea cum Familia, ac Descendentibus vestris, prout Antecessores vestri consueverant, habitare, & commorari unà cum prærogativis eorumdem Antecessorum vestrorum in omnibus, & per omnia, (I) perinde ac si dictus Masius, unde postmodum Amasæi cognominati estis, ab eadem Civitate minimè discessisset, sed in ea cum omnibus suis Descendentibus continuò permansisset. Quare pro parte vestra Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Vos, & quemlibet Vestrum, ac Descendentes vestros per lineam masculinam in perpetuum ad dictam Patriam vestram jure postliminii restituere, ac præfatæ Civitatis Bononiæ nobiles Cives agnoscere, ac in aliorum Civium numerum, & consortium aggregare, ac aliàs vobis in præmissis providere dignaremur. (L) Attento maximè quòd tu, Romule, Uxorem nobilem Civem Bononiæ duxisti, ex qua superiùs nominatos filios Pompilium, ac Theophrastum Bononiæ procreasti, & (M) educasti, ac per annos jam viginti, & unum in hoc publico Gymnasio Humanitatis studia profiteris, nec non primi Secretarii Magnificorum (N.) DD. Quadraginta officio fun-

ge-

MONUM. VII.

O

Quarto ab hinc anno civitate in forma amplissima *donatus.*

P

Bononia Studiorum omnium mater, & caput aliarum Legationis hujusmodi Civitatum appellatur.

Q

Amasæorum Familia inter Nobiles Bononiæ Familias cooptatur.

geris, ac insuper quod quarto ab hinc anno (O) civitate donatus in forma amplissima: & item attento, quòd Vos omnes in Civitatem Bononiensem remigrando, eamdem familia, ac facultatibus vestris accumulare, doctrina atque industria pro viribus honestare decrevistis. Nos itaque, qui Civitates omnes nostræ gubernationi subjectas, præsertim verò hanc insignem, (P) quæ mater esse dignoscitur omnium studiorum, & caput aliarum Legationis hujusmodi Civitatum, personis maximè industria, scientiis, bonis moribus, & aliis præclaris virtutibus præditis repleri, nostris potissimè temporibus, intensis desideramus affectibus: Vos præmissorum intuitu gratioso favore prosequi volentes hujusmodi in hac parte supplicationibus inclinati, Vos, & quemlibet Vestrum, ac Descendentes vestros præfatos, (accedente tamen ad hoc Magnificorum DD. Regiminis ejusdem Civitatis Bononiæ expresso consensu) ad Civitatem, & Patriam vestram primariam prædictam, Apostolica, & gubernationis nostræ hujusmodi auctoritate, qua fungimur in hac parte, tenore præsentium jure postliminii restituimus, ac ipsius Civitatis Bononiæ Cives creamus, facimus, constituimus, decernimus, ac deputamus, (Q) nec non aliorum nobilium Civium numero, & consortio hujusmodi favorabiliter agnoscentes aggregamus, & connumeramus; Vobisque, & cuilibet Vestrum, ac aliis prædictis, ut omnibus, & singulis honoribus, commodis, præeminentiis, dignitatibus, ac prærogativis realibus, personalibus, ac etiam mixtis, quibus alii veri Originarii antedictæ Civitatis Bononiæ ex origine propria, paterna, & avita, ac ultra, Cives ex dispositione videlicet juris, & statutorum, ac provisionum, & constitutionum ejusdem Civitatis Bononiæ utuntur, potiuntur, & gaudent, etiam quoad omnia, & singula statuta, leges, provisiones, constitutiones, & consuetudines Civitatis Bononiæ hujusmodi, in iis videlicet, quæ honorem, dignitatem, utilitatem, ac exercitia, officia, & congregationes tam in Societatibus, quàm Collegiis quibuscumque etiam dilectorum Nobis in Christo Doctorum, & Magistrorum Universitatis Studii dictæ Civitatis Bononiæ concernant, quæ omnia etiam quoad vos, & alios præfatos locum sibi vindicare, & effectum sortiri volumus, uti, potiri, & gaudere liberè, & licitè possitis, & valeatis, auctoritate, & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Quòdque Vos, & quilibet Vestrum, ac alii prædicti de cætero per-

MONUM. VII.

perpetuis futuris temporibus a quibuſcumque perſonis pro veris Originariis ipſius Civitatis Bononiæ Civibus ex origine propria, paterna, & avita, ac ultra, venientibus, & deſcendentibus, & ut tales habeamini, & teneamini, reputemini, & tractemini, ac haberi, teneri, reputari, ac tractari debeatis. Nec non quatenus ad hoc capaces, & habiles pro tempore reperti fueritis, & aliquis Veſtrum repertus fuerit, conjunctim, vel diviſim, (R) ad Antianatus, & Collegii Confaloneriorum, ac omnia, & ſingula officia, & dignitates, honores, & utilitates præfatæ Civitatis Bononiæ, ac Doctoratus, & alios in tam Canonici, & Civilis Jurium, quam Artium, & Medicinæ facultatibus gradus recipi, & admitti, ac tam in magno Doctorum, & Magiſtrorum facultatibus hujuſmodi, quàm Judicum, & Judicii Mercatorum Collegiis ipſius Civitatis Bononiæ unà cum ſalariis, emolumentis, & gravaminibus conſuetis in omnibus, & per omnia, perindè ac ſi verè Originarii cives ex origine proria, paterna, & avita, ac ultrà, eſſetis, impyxidari debeatis, eiſdem auctoritate, & tenore decernimus, & declaramus. Volentes præcipuè, quod omnia ſtatuta, leges, ordinationes, & proviſiones hujus Civitatis, & Communis Bononiæ erga Vos, omneſque veſtros Deſcendentes prædictos locum ſibi vindicent, ac valeant, & pro Vobis, ac aliis omnibus deinceps perpetuò obſerventur eo modo, quo pro aliis veris, & Originariis Civibus Bononienſibus valent, obſervantur, & obſervari debent. Mandantes moderno, & pro tempore exiſtenti Poteſtati dictæ Civitatis Bononiæ, & quibuſcumque aliis Judicibus, & Officialibus Civitatis Bononiæ, & ejus Comitatus, & Diſtrictus prædictorum præſentibus, & futuris; cæteriſque, ad quos ſpectat, & ſpectabit, ſeu ſpectare poterit quomodolibet in futurum, ut omnia, & ſingula præmiſſa obſervent; ac Vos omnes ſupradictos in omnibus, & ſingulis præmiſſis pro veris, & Originariis Civibus Civitatis Bononiæ ex origine propria, paterna, & avita hujuſmodi, & ultrà, ut præfertur, habeant, tractent, reputent, & teneant, ac ab aliis hujuſmodi teneri, tractari, reputari, & obſervari faciant, mandent, & permittant. Decernentes inſuper ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper iis a quoque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam juramento confirmatis, Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis,

R

Ad Antianatum, & Collegium Confaloneriorum, ac omnia, & ſingula officia dignitatis, honores, & utilitates Civitatis Bononiæ recipitur, & admittitur.

MONUM. VII.

tis, consuetudinibus, provisionibus, reformationibus, decretis, & legibus, tam communibus, quàm municipalibus Civitatis Bononiæ, & illius Collegiorum eorumdem, præsertim verò non obstantibus illis, quibus expressè caveri dicitur, quod Cives ex privilegio ad præmissa recipi, & admitti non debeant. Quibus omnibus (etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus pro illorum sufficienti derogatione, specialis, & individua, non autem per clausulas generales id importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permansuris) hac vice dumtaxat, motu proprio, ac ex certa nostra scientia, cum spontanea tamen voluntate, & consensu præfatorum Magnificorum DD. Quadraginta, specialiter, & expressè harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Quandoquidem Vos, & Descendentes vestros, ut ante dictum est, recognoscimus, (S) & in pristinum jure postliminii redintegramus, & restituimus; ac paritèr Nobiles Cives creamus, & facimus. In quorum omnium, & singulorum præmissorum fidem, & testimonium præsentes literas fieri, sigilloque præfati Rmi D. Legati fecimus appensione communiri. (T) Datum Bononiæ in Palatio nostræ solitæ Residentiæ die 23. mensis Junii anno 1533. Pontificatus verò SSmi D. N. D. Clementis Divina Providentia Papæ VII. anno decimo.

Fr. Gubernator.

Al. Matbesilanus.

S

Supradicti omnes juxta petita in pristinum jure postliminii redintegrantur, atque restituuntur & Nobiles Cives creantur.

T

Diploma expeditum a Gubernatore die 23. Junii 1533.

Supradictum restitutionis in civitatem decretum (V) processit de voluntate, & consensu Magnificorum DD. Quadraginta Reformatorum Status Libertatis Civitatis Bononiæ, uti constat (X) ex Partito legitime obtento die 29. Mensis Aprilis 1533.

Dat. ut supra.

Romulus Amasæus.

V

De voluntate, & consensu Senatus.

X

Juxta Partitum obtentum 29. Aprilis 1533. Vide Mon. XV.

MONUM. VIII.

In Libro, cui titulus

= PARTITORUM =

Ab anno 1514. *ad* 1520. *num.* 15. *fol.* 20.

Die Martis 4. Julii 1514.

PP. CC. per viginti quinque fabas albas, & unam nigram conceſſerunt infraſcriptis Doctoribus conductis, & rotulatis hoc anno ad Lecturas infraſcriptas ſalaria infra notata, quæ eis ſolvi debeant ratione Lecturarum prædictarum, incipiendo in prima diſtributione præſentis anni videlicèt . . . . . .

Conſtitutio ſalarii in libr. 70. Romulo Amaſæo ad Rhetoricam, & Poeſim rotulato.

Romulo Amaſæo rotulato ad Rhetoricam, & Poeſim conſtituerunt ſalarium libr. ſeptuaginta Bononiæ videlicèt - - - - - - - - - lir. 70. — —

MONUM. IX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 32.

Die Veneris 19. Decembris 1516.

PP. CC. per xxi. fabas albas, & quatuor nigras approbarunt taxas, & augmenta facta de quibuſdam pecuniarum ſummis taxatis, & augmentatis certis Doctoribus deſcriptis in ſchedula notata manu Cancellarii Reverendiſſimi D. Vicelegati, digeſta verò, & concluſa per Magnificum D. Vexilliferum Juſtitiæ, & ſpeciales DD. Deputatos per ipſos Magnificos DD. Quadraginta, & quas taxas, & augmenta tenore præſentis Partiti de novo fecerunt, prout infrà, incipiendo in prima diſtributione anni 1517. proximè futuri.

Augmentum librarum 50. ſalario Lecturæ Romuli Amaſ.

Romulus Amaſæus cum augmento librarum quinquaginta Bononiæ videlicèt - - lir. 50. — —

MONUM. X.

In Lib. = PARTIT. =

A 1520. *ad* 1526. *num.* 16. *fol.* 8.

1520. 6. Februarii.

PP. CC. per quatuordecim fabas albas, & ſeptem nigras elegerunt Viros D. Virgilium de Poetis, D. Auguſtinum de Marſiliis, Co. Herculem de Bentivolis, Gaſparem de Armis, Fran-

MONUM. X.

Sex Senatores deputantur, qui unà cum Vicelegato, & Juſtitiæ Vexillifero provideant, & curent, ut Romulus Amaſæus in Humanior. Literar. Lectura ad annos aliquot honeſtis conditionibus perſeveret.

Franciſcum Fantucium, & Antonium Mariam de Campeggio, qui unà cum Rmo D. Vicelegato, & Magnifico D. Vexillifero Juſtitiæ tractent, & conſulant ſuper Reformatione eruditiſſimi Humaniſtæ D. Romuli Amaſæi, & eam concludant per Inſtrumentum publicum, in quo obligent d. D. Romulum ad aliquot annos, ut legat Lecturam Humanitatis in Studio Bononiæ, & ei ſtipendium Lecturæ promittant in eam ſummam, in quam inter ſe convenerint: ratum habituri quicquid per prædictos Electos, & majorem eorum partem in prædictis actum fuerit, ſive geſtum.

MONUM. XI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 137.

1524. 10. Septembris.

Ad Oratoria, & Poetica facultatis præcepta in Bononienſi Gymnaſio tradenda per triennium, & ultra ad Senatus beneplacitum Romulus Amaſæus eligitur, eique libræ tercentæ viginticinq; integræ, & privilegiatæ pro annuo Lectura ſtipendio conſtituuntur.

PP. CC. per decem, & octo fabas albas, & unam nigram conduxerunt Excell. Literarum Humanarum Profeſſorem D. Romulum Amaſæum ad legendum in hoc Almo Gymnaſio Bononienſi in Oratoria, & Poetica facultate, cui conſtituerunt libras tercentas viginti quinque Bonon. integras, & privilegiatas pro ſalario annuo hujuſmodi Lecturæ, & pro triennio proximè futuro, & ultra ad beneplacitum, inchoando hoc anno præſenti ſtudii de proximo reformandi, & de pecuniis Gabellæ Groſſæ, & nominatim de ſumma librarum quadringentarum, ad quam ſolvendam ultra alias obligationes Depoſitarii Doctorum ſe obligarunt pro conducta Oratoris, ſive Humaniſtæ unius, ultra ſolitos præſentis ſtudii, prout in Inſtrumento Depoſitariæ Doctorum continetur, rogato per me Joannem Andream Gariſendum Not.

MONUM. XII.

In Lib. = PARTIT. =

Ab anno 1527. *ad* 1535. *num.* 17. *fol.* 52.

Die Sabbati 29. Auguſti 1528.

PP. CC. approbarunt per xxiii. fabas albas, & duas nigras primam, & ſecundam diſtributionem ſalariorum DD. Doctorum anni præſentis, in quibus poni mandarunt ſalaria vetera viventium jam recepta in diſtributionibus anni 1527. proximè præteriti, nec non augmenta nonnulla, quæ

MONUM. XII.

quæ partim de anno 1526., partim proximis menſibus facta quibuſdam fuerunt, & taxæ quorumdam, qui conducti hoc anno ad legendum ſunt, eo modo, & forma, prout ſancitum, & ordinatum eſt a Rmo D. Vicelegato, & ſpectabilibus DD. Aſſumptis, ut in ſcheda quadam manu ipſius Rmi D. Vicelegati ſubſcripta continetur, quam mihi Philippo Faſianino Secretario is ipſe Rmus D. Vicelegatus præbuit, recitata a me in Senatu; reliqua verò augmenta, & taxæ, quæ comprehendi in præſentia non potuerunt in his diſtributionibus, ne taxa generalis excederet ſummam, quam ſolvere tenentur Depoſitarii, ad tollendam miſcellaneam confuſionem, quæ optima ſemper inſtituta labefactat, & invertit, mandarunt interim in ſuſpenſo teneri, donec uberiores vectigalis Mercationum reditus ſuppeditabunt, aut Lecturæ in ea copia vacaverint, ut reliquis taxatis hoc anno, & eis, qui augmenta in hunc uſque diem obtinuerunt, ſatisfieri poſſit, non obſtante in his Partito aliàs poſito, & obtento pro expeditione primæ diſtributionis, quod nullum omninò eſſe, & antiquatum voluerunt.

Nomina verò eorum ipſorum conductorum, & taxatorum cum ſalariis, & additamentis ponendis nunc in diſtributionibus ſequuntur, & ſunt infraſcripta eo ordine, & modo, quo porrecta, ut prætermiſſum eſt, fuerunt.

Augmentum libr. 675. ſalario Lecturæ Romuli Amaſæi.

Romulus Amaſæus pro taxa librarum ſexcentarum ſeptuaginta quinque, videlicèt lir. 675. - -

MONUM. XIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 124.

1530. 29. Decembris.

A *Romulus Amaſæus filius Excellentiſſimi Artium, & J. U. D. Gregorii Utinenſis.*

B *Ejuſdem Romuli laudes in Bononienſi Gymnaſio Humaniores Literas profitentis.*

PP. CC. moti cauſa ſingularis doctrinæ (A) D. Romuli Amaſæi filii Exmi Art., & Jur. Utr. Doctoris D. Gregorii Forojulienſis Utinenſis, qui in profeſſione Humanarum Literarum, (B) & manſuetiorum Muſarum tam Græcarum, quàm Latinarum adprimè excellit, & de Oratoria facultate, quæ in eo mirabiliter elucet, benemeritus eſt, quam in Almo Gymnaſio Bononien. multorum annorum curriculo cum maximo tam Italicorum, quàm Provincialium Scholaſticorum, juventutiſque præſertim Bononien. profectu omnibus numeris publicè interpretatus eſt, & in dies laudabiliter interpretatur; volenteſque eum, exigentibus ita meritis egregiæ virtutis hujuſmodi, aliquo honeſta-

MONUM. XIII.

C

Romuli Familia originem e Bononia duxit a Maſo quodam filio D. Bonicoſſæ.

D

Romulus per annos xxii. *domicilium Bononiæ habuit.*

E

Nobilem Mulierem Bononien. uxorem duxit, & omnes ferè Liberos Bononiæ ſuſcepit.

F

Bononiæ civitate Motu proprio Senatus in forma ampliſſima *donatus eſt.*

G

Cum expeditione Decreti jurium, indultorum, privilegiorum &c.

mento utili inſigniri, civitate Bononiæ, (C) a qua Majores ſuos originem etiam duxiſſe ipſe aſſerit a Maſo quondam filio Bonicoſſæ, ut ſe per Inſtrumenta domus ſuæ demonſtraturum (D) promiſit, & ubi ipſe per annos xxii. moram traxit, liberaliſſimè donarunt, ac Liberos omnes ſuos tam natos, quàm naſcituros, (E) quos adjuncta ſibi in Matrimonium Nobili Muliere Bononienſi ferè omnes Bononiæ ſuſcepit. Atque ita præſentis Partiti tenore per fabas albas viginti duas, & nigras novem eum ipſum D. Romulum cum Liberis hujuſmodi maſculis legitimis, & naturalibus, Poſteris, & Deſcendentibus ſuis in infinitum, (F) Civem Civitatis Bononiæ crearunt, fecerunt, & conſtituerunt in forma ampliſſima, & in aliorum Civium Bononienſium numerum, cœtum, & conſortium aggregarunt, aſciverunt, & cooptarunt cum omnibus privilegiis, indultis, favoribus, gratiis, honoribus, prærogativis, immunitatibus, commodis, incommodis, muneribus, & aliis, quibus cæteri Cives Bononiæ utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent: (G) ſuper quibus expediatur Decretum Civilitatis in ampla forma hujuſmodi ad effectum omnium præmiſſorum.

MONUM. XIV.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 140.

1531. 6. Novembris.

In locum Philippi Faſianini vita functi Romulus a Secretis Senatus primarius eligitur, ejuſdemque Romuli laudes recenſentur.

Cum ob mortem ſpectati Viri D. Philippi Faſianini vacet locus primarii Secretarii in Cancellaria Magnificorum DD. XL., & Magnificæ Communitatis Bononiæ, & neceſſe ſit aliquem in ipſius locum ſufficere, & ſubrogare, cujus curæ, & regimini negotia publica, & omnia, quæ in Cancellaria ipſa fiunt, & tractantur, committi poſſint, & qui ea omnia, tamquam primus, optima fide, ac diligentia regat, & gubernet: moti iidem DD. XL. maximis, & clariſſimis virtutibus, ac præſtanti, & ſingulari doctrina in Literis Humanioribus Excellſmi D. Romuli Amaſæi Civis Bononiæ, ac eius fidei plurimùm confidentes; conſiderantesque, quòd talis Viri ad hunc locum electio non ſolùm Cancellariæ ipſi beneficium, & utilitatem, ſed Almo quoque Bononienſi Gymnaſio, in quo legendo aſſiduè ſe exercet, ac Patriæ maximum ornamentum, & honorem afferet, eum ipſum D. Romulum per fabas albas xxii., & nigras

octo

MONUM. XIV.

Pro ſtudioſæ juventutis utilitate decernitur, ut præter officium prædictum in tradendis Humaniorum Literarum præceptis Romulus perſeveret cum ſolito librarum mille pro hujuſmodi Lectione ſtipendio.

MONUM. XV.

A

Gregorius Romuli Pater Nobilis Civis Utinenſis vocatur.

B

Perpetuam ad Senatum Orationem habet.

C

Se paternam originem a quodam Maſo Bonicoſſæ Bononien. filio duxiſſe perpetuis antiquarum tabularum indiciis demonſtrat.

D

Hunc vero Maſum annum ab hinc circiter ducenteſimum vigeſimum quintum Bononia profectum Utini conſediſſe. Profectio idcirco anno circiter 1308. ſecuta eſt.

E

Jus antiquæ Civitatis ſibi reſtitui cupit, & poſcit. A Senatu laudatur.

F

Romulus annos jam viginti & unum Literas Humaniores in publicis Scholis interpretatur. Anno propterea 1512. id muneris Bononiæ iniiſſe colligitur.

G

Civitatis conceſſio in ampliſſima forma Romulo facta, ejuſque ſecretiori Senatus tabulario Præfectura commemorantur.

H

Pompilius, ac Theophraſtus Romuli filii ex Nobili Uxore geniti, altique Bononiæ.

I

Cælius Legum Scholaſticus Hieronymi Fratris Gregorii, & Artium, & Medicinæ Doctoris filius.

octo elegerunt, & deputarunt primarium ſuum Secretarium cum ſalario, honoribus, oneribus, commodis, & incommodis ſolitis, & conſuetis, ac ad ipſum Officium ſpectantibus, & pertinentibus: hac tamen conditione, quòd pro utilitate, & beneficio ſtudioſorum juvenum, & totius Studii Bonon. Lectionem, ad quam jampridem conductus, & rotulatus eſt, & quam hactenus legit, continuò legere debeat, ac teneatur, & ei currat ſolitum ſalarium librarum mille pro hujuſmodi Lectione per diſtributiones, uti conſuetum eſt; in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 165.

1533. 29. Aprilis.

Cum excellens Artium, & Juris Utriuſque Doctor D. Gregorius Amaſæus Nobilis Civis Utinenſis (A) expoſuerit in Senatu perpetua Oratione, (B) & antiquarum tabularum perpetuis indiciis demonſtrarit ſe paternam originem duxiſſe a quodam Maſo filio Bonicoſſæ Bononienſis, (C) qui ex hac Urbe ab hinc annum circiter ducenteſimum, & vigeſimum quintum profectus Utini conſedit, (D) a quo per rectam lineam ipſe deſcendat, & magnopere rogarit, ut ſibi poſtliminio redire cupienti, & reliquum ætatis ſuæ in priſca Majorum ſuorum Patria tranſigere, hujus clariſſimæ, ac florentiſſimæ Civitatis jus reſtitutum vellent, (E) ejus in veterem Patriam amore, ac pietate, nec non doctrinæ, & multarum laudum minime obſcura fama adducti; Volenteſque cum ipſi, tum ejus filio Romulo benigniſſimè gratificari, cujus opera in Literis Humanioribus in publicis Scholis interpretandis per viginti unum jam annos uſi ſunt, (F) quemque motu proprio tertio ante anno Civitate donarunt in forma ampliſſima, neque ita multò poſt ſecretiori tabulario ſuo præfecerunt; (G) ante nominatum D. Gregorium cum prædicto Romulo denuò, & Pompilio, ac Theophraſto ejus filiis legitimis, & naturalibus, & ex Nobili Cive ſua Bononiæ natis, & educatis, (H) nec non cum D. Cælio Legum ſcholaſtico quondam D. Hieronymi Artium, & Medicinæ Doctoris ipſius D. Gregorii fratris filio, (I) Patriæ antiquæ per fabas albas xxvii., & nigras ii. reſtituerunt, & in cœtum, ac numerum aliorum

MONUM. XV.

K

Gregorius prædictus cum Romulo ejus filio, Pompilio ac Theophrasto Nepotibus, Calioque Fratris Hieronymi filio civitate donantur; & ad omnes Patriæ honores, commoda, officia, & Magistratus cum eorum Filiis, ac Descendentibus legitimis, & naturalibus admittuntur.

L

Expeditio Decreti in ampliſſima forma mandatur.

Civium Bononien. receperunt, ipſoſque, & eorum etiam filios, ſi qui in poſterum naſcantur, ac eorum Poſteros, ac Deſcendentes, legitimos tamen, & naturales, ad omnes honores, commoda, Officia, & Magiſtratus admiſerunt, (K) quibus fruuntur, & frui poſſunt Cives indigenæ, & qui ex propria, paterna, & avita origine Cives cenſentur, eodemque ut eſſent jure conceſſerunt, quo eſſe meritò deberent, ſi ſuperiùs nominatus Maſus Bonicoſſæ filius Bononia profectus aliò numquam ſe habitatum contuliſſet; & hoc ſuum reſtitutionis, & Civium ſuorum agnitionis Senatus Conſultum ratum, & firmum eſſe voluerunt, cum derogatione omnium in contrarium ſtatuentium; cenſueruntque Decretum expediendum ſuper prædicta recognitione in ampliſſima forma cum clauſulis validis, & opportunis. (L)

MONUM. XVI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 198.

Joannis Mariæ de Monte Archiepiſc. Sipuntini Bononiæ, & Flaminiæ Vicelegati in Urbem ingreſſus cum ſumma omnium Ordinum gratulatione.

Quod felix, fauſtum, fortunatumque ſit.

Die Martis 15. Decembris 1534.

Rſmus D. Joannes Maria de Monte Archiepiſcopus Sipuntinus Bononiæ, & Flaminiæ Vicelegatus cum auctoritate, & poteſtate ampliſſima a Beatiſſimo Patre, & D. N. Paulo III. Pont. Maximo miſſus in Urbem introjit. Qui Vir cum vita ſit probatiſſima, & ſpectata in quamplurimis Magiſtratibus virtute, ejus primo adventu tota Civitas mirabiliter ad ſpem optimæ, atque optatiſſimæ adminiſtrationis adducta eſt; meritò itaque magna cum omnium Ordinum gratulatione, & plauſu exceptus eſt. Sic faxit Deus, ut ejus adminiſtratio talis ſit, qualem futuram omnes ſperant, & confidunt.

MONUM. XVII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 201.

Die Veneris 8. Januarii 1535.

Cum pro ſumma in SSmum D. N. fidelitate ſua, & ſingulari obſervantia erga Illſmos, & Rſmos ipſius Nepotes decere cenſeant, aliquam certam, & expreſſam pro facultatibus ſuis lætitiæ de no-

MONUM. XVII.

Munuſcula Pauli III. Nepotibus ad Cardinalitiam dignitatem evectis a Senatu decreta.

nova ad Cardinalatus apicem eorum aſſumptione ſignificationem dare, decreverunt per ſabas albas xxx. nigram unam, ut de pecuniis taxarum donatis nuper ab eodem SSmo D. N. Cameræ Bononiæ erogentur, & expendantur Scutati aurei a ſole mille in aliquod munus ipſorum novorum Cardinalium dignitati, & ſplendori conveniens; mandantes earumdem taxarum Depoſitario, ut ſtatim, non obſtantibus contrariis quibuſcumque, ad efficiendum, quod ante dictum eſt, ſuperiùs expreſſam ſummam Magnifico D. Vexillifero Juſtitiæ diſſolvat.

MONUM. XVIII.

In Lib. = PARTIT. =

Ab anno 1535. *ad* 1543. *num.* 18. *fol.* 2.

Die Martis 26. Januarii 1535.

Remuneratio a Senatu conſtituta tum Nunciis, tum Galerorum Apportatoribus ad Nepotes Pauli III. delatorum.

Primò volentes teſtatam immenſam gratulationem ſuam, qua diem illum celebrarunt, quo Cardinalatus inſignia Galeri purpurei miſſi a Paulo III. Pont. Max. clariſſimè, & liberaliſſimè inſtitutis adoleſcentulis ipſius Nepotibus Rmis, & Illmis D. Alexandro Farneſio, & D. Guidoni Aſcanio Sfortiæ allati ſunt, præter Decretum ante ipſis Cardinalibus munus, eos etiam, qui tam lætum, & optatum nuntium attulerunt, aliquo remunerationis honore proſequendos cenſuerunt. Facto itaque ritè S. C. per ſabas albas omnes xxvii. obtentum eſt, ut ipſis Nuntiis, & Galerorum Apportatoribus, videlicèt Illuſtriſſimo . . . . . Marchioni Montis, & Magnifico Euryalo . . . . . SSmi D. N. Cubicularijs donentur quaternæ argenteæ pateræ ſingulis, cælatæ Reipublicæ Bononiæ inſignibus, in quarum ſingulas erogentur aurei ſolares Scutati xxv. ideſt in omnes aurei ſolares Scutati cc., quam pecuniæ ſummam opera, & arbitrio Magnifici D. Vexilliferi Juſtitiæ, & quatuor Virorum, quibus id negotii nominatim dederunt, unde cogi oporteat ſtatuerunt, & primo quoque tempore munus hoc effectum, & expolitum illis mittendum, ut monimentum hoc ſit ejus incomparabilis lætitiæ, quam illius feliciſſimæ renuntiationis ergo S. P. Q. B. accepit. Contrariis verò omnibus abrogatis hoc S. C. ſancitum, ratumque eſto.

MONUM. XIX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. ut ſupra.

26. Januarii 1535.

Internunciî, qui Cardinalitiæ dignitatis inſignia Alexandro Farneſio, & Guidoni Aſcanio Sforziæ Pauli III. Pont. Max. Nepotibus detulerunt, civitate Bononienſi in forma ampliſſima *ex Archiepiſcopi Sipuntini urbis Præfecti, & Senatus Conſulto donantur.*

Præterea dignos eſſe cenſentes eoſdem Illſmum D. . . . . Marchionem Montis, & Magnificum D. Euryalum . . . . . qui ornarentur, & honeſtarentur inſigniore aliquo munere, & illuſtriori illis gratia haberetur, quòd ipſis internuntiis delati ſunt Sacroſanctæ Cardinalatus dignitatis apices SSmi, ac Beatiſſimi Patris, & D. N. Pauli Pont. Max. Nepotibus eximia virtute, & ſpe ſumma adoleſcentulis, Rmis, & Illmis D. Alexandro Farneſio, & D. Guidoni Aſcanio Sfortiæ; ac volentes illius diei, qui feſta cum pompa, & apparatu, ac totius populi mirifico concurſu, & plauſu celebratus eſt, memoriam non hominum tantùm mentibus, ſed publicis etiam ſcriptis teſtatam; adducti etiam meritis, nobilitate, virtute ipſorum jam ante nominatorum Internuntiorum, ſumma voluntate, ac libentiſſimis animis, referente Ampliſſimo, & Clariſſimo Viro Archiepiſcopo Sipuntino urbis Præfecto, & Vicelegato, ambos, & eorum utrumque ſeparatim per omnes fabas albas Cives cooptarunt, aſciverunt, & crearunt Civitatis Bononienſis in forma ampliſſima, eoſque, & eorum utrumque ſeparatim potiri, gaudere, uti, fungi, ac frui voluerunt omnibus, & quibuſcumque privilegiis, gratiis, honoribus, commodis, quibus Cives ex triplici origine, ideſt propria, paterna, & avita, potiuntur, utuntur, gaudent, & fruuntur, non aliter quàm ſi ipſi, & Majores eorum nati Bononiæ fuiſſent; & ipſi in eadem Civitate perpetuò habitaſſent, & in omnibus, & ſingulis ad Civitatis vel honores, vel onera pertinentibus eodem omninò jure eſſe, quo ſunt, & eſſe debent ipſi indigenæ, & Nobiles Cives. Cumque hoc S. C. abrogatis contrariis omnibus, quæ huic civitatis donationi fortaſſe officere viderentur, ratum, firmum, ac ſtabile eſſe oportere cenſeant, ipſorum ſuperiùs nominatorum utrique decreta ſeparatim confici inſſerunt, cum graviſſimis quibuſque, ornatiſſimis, & maximè ideneis appoſitis, & accommodatis ad mentem, voluntatemque ſuam declarandam ſententiis, ac verbis.

In

MONUM. XX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 15.

1535. 29. Octobris.

Per annos XXIV. *in Bononienſi, & Patavino Gymnaſio Literarum Humaniorum Lectionem Romulus habuit ad annum* 1535.

Inter privatos quoque parietes ſuam in Græcis, Latiniſque Literis nobilibus adoleſcentibus operam præſtitit.

Ad conſuetum Lectionis ſuæ munus reconducitur cum mercede annua librar. mille ducentarum quinquaginta privilegiatarum.

Hæc ſuper aſſignatione publica tabula conficiuntur.

PP. CC. cum valde utilem, atque adeo neceſſariam eſſe intelligant ad Bononienſe Gymnaſium tuendum, & ornandum Humanitatis Studiorum publicam Lectionem, & interpretationem, & in ea ſe cum ſumma laude per annos jam XXIV. in publicis Scholis, & utraque lingua tam in Bononienſi, quàm Patavino Gymnaſio exercuerit D. Romulus Amaſæus ipſorum tabulario Præfectus, & Scribarum Magiſter, idemque inter privatos parietes magno, & quotidiano ferè labore erudiendis in Græcis, Latiniſque Literis nobilibus adoleſcentibus operam navarit, & in præſentia navet, priſtinam ejus alacritatem remuneratione, & honeſtiore aliquo præmio proſequendam, & incitandam cenſentes, eumdem Dominum Romulum ad conſuetum Lectionis ſuæ munus per fabas albas XXVIII., & nigram unam reconduxerunt, cum mercede, & ſalario librarum Bononiæ mille ducentarum, & quinquaginta privilegiatarum, & ei ſine exceptione ulla ſolvendarum in prima, & reliquis deinceps ſequentibus diſtributionibus anni proximè futuri 1536., & reliquorum deinde ſubſecutorum annorum; de qua quidem reconductione perſonæ eminentis in facultate ſua ſcientiæ, quò S. C. hoc ſuum validius, & firmius ſit, mandarunt nobis Evangeliſtæ Matugliano, & Hieronymo Badagio Civibus, & Notariis Bononienſibus, ac ipſorum DD. ſecretioribus Scribis, ut publicas, & ſolemnis Inſtrumenti tabulas conficeremus; removentes, & abrogantes contraria omnia, quæ nihil omninò ad hoc S. C. ſuum impediendum obſtare voluerunt. Declarantes pro prædicta ſumma, & in ejus ſupplementum ſolvendas eſſe ei annuas ducentas, & quinquaginta libras de ſalario proximè vacaturo D. Stephani Salutati Piſcienſis Literarum Græcarum publici Profeſſoris.

Rogatio mei Evangeliſtæ Matugliani in ſolidum cum infraſcripto Ser Hieronymo Badagio Notario, & Cancellario rogat.

Rogatio mei Hieronymi Badagii unà cum ſupradicto Ser Evangeliſta Matugliano Notario, & Scriba rogat.

MONUM. XXI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 26.

Die Mercurii 16. Februarii 1536.

Joannes Maria de Monte Bononiæ Gubernator Romam evocatur.

Rmus D. Gubernator in S. C. nominatus, evocatus a SSmo D. N. Romam profectus eſt, ſuffecto in locum ſuum R. D. Gregorio Magaloto Epiſcopo Cluſinienſi Romandiolæ Præſidenti: cujus ſubſtitutionis factæ ex facultate ei data per Breve Apoſtolicum datum anno 1535. die 11. menſis Decembris mentionem fieri in publicis actis juſſit.

MONUM. XXII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 36.

1536. 27. Octobris.

In loculis ſortium Officiorum Utilium Romulus ponitur.

PP. CC. ſtatuerunt per fabas albas xxiii., & nigras v. ut Exmus ſuus Scriba ſecretior, & Cancellariæ Præfectus D. Romulus Amaſæus ponatur in loculis ſortium Officiorum Utilitatis Civitatis Bonon. arbitratu Magnifici D. Vexilliferi Juſtitiæ, & ſpecialium DD. ad id Aſſumptorum, & electorum.

MONUM. XXIII.

In Lib. = PARTIT. =

Ab anno 1535. *ad* 1543. *num.* 18. *fol.* 57.

Die Lunæ 17. Septembris 1537.

Aſcanius Sfortia Cardinalis Bononiæ Legatus Romam evocatus proficiſcitur.

Reverendiſſimus, ac Illuſtriſſimus D. D. Aſcanius Sfortia Cardinalis S. Floræ nuncupatus, Bononiæ Legatus, evocatus a SSmo D. N. hinc Romam profectus eſt.

In

MONUM. XXIV.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 152.

Die 3. Septembris 1541.

Oratorum electio, qui Lucam uſque obviam eant Paulo III. Bononiam adventanti.

Congregatis Magnificis, & Illmis DD. XL. Reformatoribus Status Libertatis Civitatis Bononiæ in Camera eorum ſolitæ Reſidentiæ, & nominatis omnibus eorum nominibus, ſuperque ſingulis inito ſuffragio, elegerunt infraſcriptos duos eorum Collegas Oratores ipſorum, & Communis Bononiæ, qui Lucam uſque obviam SSmo D. N. Paulo III. Pont. Max. prodirent Bononiam adventanti, videlicèt:

D. Antonium Mariam Campeggium Senatus Priorem per fabas albas xviii. nigras v.

Co. Ludovicum Bentivolum per fabas albas xviii. nigras v.

MONUM. XXV.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra in primo pergamena folio.

Adventus Bononiam Pauli III. ejuſque diſceſſus.

Paulus III. Pont. Maximus, peracto cum Carolo V. Imperatore colloquio Lucæ, Bononiam venit, & Urbem introjit cum pompa, & plauſu triumphali vii. Kal. Octobris hora circiter xxii. anno Salutis 1541. Diſceſſit pridie Non. Octobris manè.

MONUM. XXVI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 153.

Die Veneris ultima Septembris 1541.

Oratorum electio, qui Paul. III. Bononia diſcedentem Romam uſque comitentur.

Cum SSmus D. N. Paulus III. Pont. Max. ſit propediem Bononia diſceſſurus, pro ſua in eius Sanctitatem obſervantia decreverunt aliquot de Ordine Senatorio mittendos, qui ipſius Beatitudinem in itinere comitentur, & officiosè proſequantur uſquequo opus eſſe, & decere viſum fuerit: nominatis itaque omnibus Magnificis DD. XL. Viris, ſuperque ſingulis eorum nominibus inito ſuffragio, elegerunt, & crearunt nomine hujus Reipublicæ infraſcriptos ſpeciales Collegas ſuos, videlicet:

D. Carolum Antonium Fantutium Equitem per fabas albas xvi. nigras vii., quem non ſolùm co-

MONUM. XXVI.

comitari ipſum SSmum D. N., ſed Romæ apud Sanctitatem Suam ad ſex menſes Oratorem gerere voluerunt, ac decreverunt: Et,

Die ſequenti eodem modo inito ſuffragio;

D. Joannem Baptiſtam Blanchinum per fabas albas xxi. nigras v., cui, ut Romam uſque ipſum Pont. Max. ſolum comitetur, mandarunt; & in ſumptus eorum utrilibet attribuerunt, & numerari voluerunt, ac juſſerunt in menſes ſingulos, quantiſper ipſius legationis munere fungentur, & ad menſis cujuslibet rationem Scutatos aureos octuaginta.

MONUM. XXVII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 170.

Die 15. Martii 1542.

Adventus Cardinalis Legati Gaſparis Contareni.

Rmus, ac Illmus D. Gaſpar Cardinalis Contarenus Bononiæ, ac Romandiolæ &c. Legatus cum ſolemni pompa de more initurus Legationem ſuam Urbem introjit, dieque 27. manè vocato Senatu diploma Pontificium ejus creationis, & auctoritatis recitandum curavit.

MONUM. XXVIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 180.

Die Jovis 24. Auguſti 1542.

Obitus Cardinalis Legati Gaſparis Contareni.

Rmus, & Illmus D. Gaſpar miſeratione Divina tituli S. Praxedis S. R. E. Presbyter Cardinalis Contarenus nuncupatus, Bononiæ Legatus, Vir quidem prudentiſſimus, & juſtiſſimus, ſubita, & peracuta morbi vi extinctus hora plus minus xx. S. P. Q. B. maximarum Virtutum, quarum cum in ſua Legatione, tum in toto ferè terrarum orbe certiſſima dederat documenta, ingens reliquit deſiderium.

In

Digitized by Google

MONUM. XXIX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 183.

Die Veneris 17. Novembris 1542.

Mandatum pro expenſis victus Commiſſarii Apoſtolici in cauſa Santerni.

Per fabas albas omnes xxix. mandarunt expediri Mandatum librarum 200. pro expenſis victus honorificè factis Rev. Commiſſario Apoſtolico in cauſa Santerni amnis, dum hic Bononiæ per aliquot dies commorari opus fuit, & deinde in ejus diſceſſu ad Hoſpitium S. Nicolai, ubi cum eo convenit Revmus Bononiæ Gubernator, & Romandiolæ Præfectus. Contrariis &c.

MONUM. XXX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 183.

1542. 17. Novembris.

Scutati aurei 175. Romulo perſolvuntur, 24. ſcilicet, cum miſſus, & remiſſus Ferrariam fuit, 51. inter Auditorem, Notarium, & Cancellarium, alioſque Officiales R. D. Comiſſarii Apoſtolici in cauſa Santerni diſtribuendi.

Reliqui 100. pro expenſis itineris ad Urbem ejuſd. Commiſs., & Romuli eum Senatus juſſu comitantis.

Negotia quædam publica non parvi momenti Romulus in mandatis habet.

Cujus ſumma poſt ejus ab Urbe reditum rationem reddere debet.

PP. CC. mandarunt, ut ærarii Præfect. ſibi retineat Scutatos aureos 175., quos enumerandos curavit D. Romulo Amaſæo Scribarum Præfect., videlicet Scutatos 24. ei datos, cum miſſus, & remiſſus fuerit Ferrariam, & reliquos 51. diſtribuendos Auditori, Notario, ac Cancellario, & aliis Officialibus R. D. Commiſſarii Apoſtolici in cauſa Santerni amnis, nec non Scutatos 100. pro expenſis itineris ad Urbem ejuſdem Commiſſarii, ac prædicti D. Romuli, qui Senatus juſſu eum aſſociavit, & negotia quædam publica non parvi momenti expedien., & pertractan. in mandatis habet; de qua tota ſumma poſt ejus ab Urbe reditum rationem omninò reddere teneatur. Factum Sen. Conſ. per fabas albas xxiii., nigras iv.

MONUM. XXXI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 189.

1543. 19. Januarii.

Scutati octoginta aurei Romulo tranſmittuntur Romæ negotia publica pertractanti.

PP. CC. per fabas albas xxvi. nigras 1., mandarunt, ut expediatur Mandatum Scutatorum octoginta aureorum de pecuniis Cameræ Bononiæ tranſmittendorum Romam D. Romulo Amaſæo negotia publica pertractanti.

In

MONUM. XXXII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 192.

Die 3. Martii 1543.

Oratorum electio, qui Paulo III. obviam eant Bonon. adventanti.

Congregatis Magnificis, & Illmis DD. XL. Reformatoribus &c. in Camera eorum ſolitæ Reſidentiæ, & nominatis omnibus eorum nominibus, ſuperque ſingulis inito ſuffragio, elegerunt infraſcriptos duos eorum Collegas ipſorum Oratores, qui obviam SSmo D. N. Paulo III. prodirent Bononiam adventanti, videlicet:

Co. Herculem Malvetium per fabas albas xxi. nigras x.

D. Ulyſſem Gozzadinum Equit. per totidem fabas albas xxi., nigras x.

MONUM. XXXIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra in primo pergamena folio?

Adventus Pauli III. Bononiam, ejuſque diſceſſus.

Idem Pontifex Maximus Bononiam rediit xvii. Cal. Aprilis 1543., cumque Placentiam, & Ferrariam primò, & deindè Buxetum ad Caroli V. Cæſaris colloquium ſe contuliſſet, Bononia Romam rediturus profectus eſt eodem anno vi. Idus Julii.

MONUM. XXXIV.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 194.

Die Veneris 30. Martii 1543.

Mandatum Romulo Amaſæo pro reſiduo expenſarum in cauſa Santerni.

Per fabas albas xxvi., nigras iv. expediatur Mandatum ærarii Præfecto de libris 425. 6. 10. ſolven. D. Romulo Amaſæo Secretario Primario pro reſiduo librarum 1361. 1. 10. expenſarum in ſumptibus tum R. Commiſſarii Aſtraſoldi in ejus itinere aquarum cauſa, & ipſius Officialium, tum in ejus D. Romuli viatico ab Urbe, in qua menſes aliquot commoratus eſt, & negotia publica pertractavit, contrariis non obſtantibus, & præſertim S. C. de Partitis non reponendis, cui derogarunt per fabas albas xxv., nigras v.

In

Digitized by Google

MONUM. XXXV.

In Lib. = PARTIT. =

Ab anno 1543. *ad* 1548. *fol.* 1.

Die Veneris 13. Aprilis 1543.

Mandatum pro Oratoribus ad comitandum Paul. III. Parmam, & Placentiam proficiſcentem electis.

Mandarunt expediri debere mandata D. Matthæo Malvetio pro infraſcriptis pecuniarum ſummis pro diverſis rationibus, & cauſis publicis, ſolutis, videlicet:

Scutatorum aureorum ſolarium centum, qui ab ipſo ærarii Præfecto ob nimis præproperum diſceſſum D. Antonii Mariæ Campeggii, & D. Joannis Baptiſtæ Blanchini Oratorum miſſorum ad comitandum SSmum D. N. Parmam, & Placentiam profectum, & huc deinde rediturum ipſis Oratoribus ſinè legitima Senatus juſſione, & mandato ſoluti fuerunt. Factum S. C. per fabas albas xxvi., nigr. unam.

Simile pro Oratoribus ad obviam eundum Paulo III. Ariminum uſque, Bononiam advenienti.

Item librarum 166. 14. pro ſumptibus Co. Herculis Malvetii, & D. Ulyſſis Gozzadini Oratorum a Senatu miſſorum Ariminum uſque obviam SSmo D. N. ad hanc Urbem ſuam adventanti. Factum S. C. per fabas albas xxvii.

Simile pro ſumptibus victus Pauli III. ad hoſpitium S. Nicolai.

Item librarum nummi Bonon. 574. 19. 8. pro ſumptibus victus SSmo D. N., & ejus Curialibus, factis ad hoſpitium S. Nicolai; & item librarum 237. 9., dum moratus eſt in Monaſterio Fratrum Cruciferorum extra portam Civitatis: ſunt in totum lir. 812. 8. 8. Factum S. C. per omnes fabas albas xxvii.

Simile pro viatico Hieronymi Balii Placentiam miſſi.

Item Scutatorum xxv. aureorum, quos ſolvere neceſſe fuit Hieronymo Balio Placentiam per diſpoſitos equos miſſo publica de cauſa, per fabas albas xxvi., nigram unam.

MONUM. XXXVI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 5.

Die 22. Maji 1543.

Privilegium civitatis Bonon. in ampliſſima forma conceſſum D. Euryalo de Silveſtris, qui inſignia Cardinalatus ad Nepotes Pauli III. Bononiæ commorantes detulit, ad illius Fratres extenditur.

Per omnes fabas xxix. albas addi etiam juſſerunt in donatione civitatis facta Magnifico, & Rev. D. Euryalo de Silveſtris Papiæ filio, ejus poſtulatione, & precibus adducti, Fratres ipſius . . . . . & ejuſdem civitatis jus in eadem ampliſſima forma ad ipſos Fratres pertinere debere decreverunt, omneſque eorum Poſteros mares legitimos, & naturales uſque in infinitum. Contrariis omnibus amotis, & abrogatis.

In

MONUM. XXXVII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra fol. 8.

Oratorum electio, qui Paul. III. Bononia ad Urbem reducem comitentur.

Die Veneris 6. Julii 1543.

Cum SSmus D. N. Paulus III. Pont. Max. sit propediem Bonon. discessurus, pro sua in ejus Sanctitatem observantia decreverunt aliquot de Ordine Senatorio mittendos, qui ipsam in itinere comitentur, & officiosè prosequantur. Nominatis itaque omnibus Magnificis DD. XL. superque singulis eorum omnibus inito suffragio, elegerunt, & crearunt nomine hujus Reipublicæ infrascriptos duos Collegas suos cum derogatione legis disponen. quod S. C. fieri debeant per duas tertias partes suffragiorum, cui legi, vel consuetudini derogarunt per fabas albas xxiii., nigras vii. videlicet:

Co. Ludovicum Bentivolum per fabas albas xix. nigras xi., quem non solùm comitari ipsum SSmum D. N., sed Romæ apud Sanctitatem Suam ad eorum beneplacitum Oratorem suum gerere voluerunt, & decreverunt; &

D. Joannem Aldrovandum per fabas albas xvi., nigras xiv, cui, ut Ariminum usque ipsum Pont. Max. solùm comitetur, mandarunt.

MONUM. XXXVIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra fol. 13.

Pompilius Romuli filius ad Lecturam Græcarum Literarum in locum Cyriaci Strocii Bononiæ profecti cum annuo salario librarum quingentarum præ aliis competitoribus deligitur.

1543. 29. Augusti.

PP. CC. quoniam ob profectionem egregii, & præstanti eruditione viri Cyriaci Strocii locus, & cathedra Græcos Auctores interpretandi in præsentia vacat, ad studiosæ Juventutis utilitatem statuentes necessarium eam cathedram idoneo cuipiam, & ejus facultatis perito decernere, adducti minimè vulgari opinione, quæ est de doctrina, & cognitione utriusque Linguæ literatis. adolescentis Pompilii Amasæi civis sui, Romuli Scribæ secretioris sui primi loci filii, ipsum Pompilium ex omnibus competitoribus per fabas albas xxv., nigras iv. delegerunt ad Literarum Græcarum cathedram obtinendam, eique per hoc S. C. decreverunt illud idem salarium, & honorarium, quod ante nominatus Cyriacus consecutus fuerat, quod est librarum quingentarum

MONUM. XXXVIII.

rum nummi Bonon. integrum, & cum privilegio, ei persolvendum quibus temporibus aliis Doctoribus; & in Bononien. Gymnasio cathedras obtinentibus sua salaria persolvuntur. Quæ huic S. C. adversentur, aut adversari videantur, quo minus auctoritatem summam habeat, perinde sint, ac nulla si essent.

MONUM. XXXIX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra fol. 47.

Die Lunæ 28. Aprilis 1544.

Doctorum remuneratio ob labores pro causa aquarum susceptos.

Cum Exmi Doctores D. Augustinus Beroius, D. Joannes Ludovicus Bovius, & D. Antonius Galeatius Malvaticeus multos, & graves labores sustinuerint causa aquariæ provinciæ, de qua est inter Civitatem Bononien., & Ducem Ferrariæ controversia, censentes PP. CC. eos aliquo remunerationis genere prosequendos, statuerunt de pecunia ærarii ad negotium aquarum destinata inter ipsos tres antenominatos Doctores Scutatos aureos centum dividendos arbitratu supradictorum Senatorum ad aquariæ provinciæ procurationem nominatim Electorum, & Assumptorum, videlicet: DD. Antonii Mariæ Campeggii, Co. Astorgii Voltei, Co. Nicolai Ludovisii, Lactantii Felicini, Jo. Jacobi Grati, Joannis Baptistæ Blanchini, Co. Andreæ Casalii, Caroli Antonii Fantutii, & Ludovici Lambertini, eam, quam ipsi fecerint, dictorum centum Scutatorum assignationem, & partitionem ratam habituri, & contrariis omnibus abrogatis approbaturi. Factum S. C. per fabas albas xxiv., nigras vii.

MONUM. XXXX.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra eodem fol. 47.

Die Lunæ 29. Decembris 1544.

Electio Hieronymi Balii in majorem Senatus Scribam loco Romuli Amasæi post cessum ipsius officii ab eo sponte factum.

Cum in præsentia vacet locus Secretarii Majoris Senatus, quem eruditissimus Vir utraque Lingua D. Romulus Amasæus obtinebat, proximis diebus Urbem protectus ad SSmum D. N. Paulum III. Pont. Max., ob cessum de illo per ipsum sponte factum, prout constat ex Literis manu ejusdem D. Romuli ad Illmos DD. XL. scriptis sub dat. Romæ xvi. mensis præsentis exi-

sten-

MONUM. XXXX.

ſtentibus, & regiſtratis in Cancellaria Communis Bononiæ, & volentes de alio idoneo Majore Scriba providere, elegerunt per fabas albas xxvii., nigras tres, eruditum virum D. Hieronymum Balium, & eum in locum prædictum ſic vacantem cooptarunt, ut deinceps incipient. Cal. Januarii 1545. proximè venturis ſit, & eſſe debeat ipſorum Illmorum DD. XL., & Communis Bononiæ Secretarius, cum officio, ſalario, honoribus, commodis, emolumentis, regaliis, & oneribus ad dictum Officium ſpectantibus &c.

MONUM. XXXXI.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 72.

1545. 28. Julii.

Reconductio Romuli ad quinquennium in Lectura Humaniorum Literarum cum eadem mercede librarum 1250. quæ ei, antequam Romam proficiſceretur fuerat conſtitut.

Cum in hanc præcipuè curam, & operam omni ſtudio, cogitationeque ſua PP. CC. ſemper incubuerint, ut pro totius Civitatis hujus Bononiæ honorificentia, utilitate, beneficio, in hoc almum, & celeberrimum Gymnaſium excellentiſſimi quique cujuſcumque Facultatis, & Literarum Scientiæ Profeſſores conducantur; cumque in præſentia hac de cauſa quammaximè neceſſarium ſit conducere Lectorem unum, qui in Humanioribus Literis, quæ Humanitatis dicuntur, publicè legendis, ac interpretandis cum ſcholaſticorum conventui, eorumdemque ſtudiis ſatisfaciat, tum Gymnaſio huic, Civitatique Bonon. commodum, & ornamentum addat; iidem PP. CC. cognitam jamdiu, perſpectamque habentes præſtantem, ac ſingularem in hoc Literarum genere doctrinam Exmi D. Romuli Amaſæi Civis ſui, eumdem ad conſuetum Lectionis ſuæ in ipſo Bononien. Gymnaſio munus pro quinquennio, cujus initium fore declarant Cal. Novembris proximè futuris, reconduxerunt, cum eadem mercede, & ſalario, quod ei, antequam Romam proficiſceretur, conſtitutum, & decretum erat, quodque is ipſe percipiebat librar. nummi Bonon. mille ducentarum quinquaginta privilegiatarum, eique ſine ulla exceptione ſolvendarum in prima, & reliquis deinceps ſequentibus diſtributionibus anni proximè futuri 1546., & reliquorum deindè annorum ſubſecuturorum quinquennii antedicti; atque hanc conductionem modis, & conditionibus, quibus ſupra, ratam, & firmam eſſe debere voluerunt, & mandarunt contra omnia, & quæcumque contraria, & quoquo modo repugnantia: Factum S. C. per fabas albas xxxviii., nigr. unam. *In*

Digitized by Google

MONUM. XXXXII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra fol. 86.

Die Sabbati xxviii. Novembris 1545.

Cum Exmus Humanarum Literarum Professor D. Romulus Amasæus, qui proximis superioribus diebus ad legendum in hoc almo Bononien. Gymnasio conductus fuerat, ostenderit se a SSmo D. N. impeditum, & detentum, neque huc se sistendi causa transferre, neque suum legendi munus obire ullo modo posse; & propterea ne Gymnasium ipsum ob defectum Lecturæ hujusmodi, cum ea maximi sit momenti ad juventutem præcipuè in Literarum studia faciliorem, alacrioremque reddendam, detrimentum patiatur, decreverint PP. CC. una cum sapientissimo, & amplissimo Legato suo; eo meliore, quo potuerint, modo providere, conducendo scilicet loco ante nominati D. Romuli unum, vel plures in hujusmodi Literarum Humanarum genere, & professione præstantes Viros; adducti fama non vulgari bonarum Literarum tum Græcarum, tum Latinarum, ac optimorum morum, nec non disciplinæ in erudiendis adolescentibus peraccommodatæ Excell. D. Sebastiani Corradi Regiensis, ac sperantes ipsius doctrinam, & operam, morumque pariter honestatem Gymnasio ipsi, totique Civitati, & præsertim studiosæ Juventuti mirum in modum profuturam, eumdem D. Sebastianum per fabas albas omnes xxix. conduxerunt ad Lecturam Humanitatis publicè in eodem Bononien. Gymnasio profitendam ad biennium, cujus initium fuisse declarant Cal. præsentis mensis Novembris; & quas in hunc usque diem Lectiones decursas ipse non legit, teneatur subsecuturis vacationum temporibus eas recompensare, & itidem legere; atque ei constituerunt stipendium, sive salarium annuum librarum num. Bonon. quadringentarum per ordinarias, & consuetas Doctorum distributiones sinè exceptione, & contradictione ulla persolvendarum. Contrariis omnibus, & quibuscunque penitus amotis, & abrogatis.

Sebastianus Corradus in locum Romuli eligitur ad Humaniorum Literarum Lecturam

Ad biennium

Cum salario annuo librarum quadringentarum.

MONUM. XXXXIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra in fol., quod Partitorum descriptionem præcedit.

1547.

Tridentini Concilii Bononiam translatio.

Per Literas Rmorum Legatorum Concilii, videlicèt Cardinalis S. Crucis, & Cardinalis de Monte ad v. Idus Martii Tridento datas nunciatum est, Sacrum Concilium Tridentinum Bononiam translatum iri, sequenti postridie huc iter facturos; qui cum ad xiii. Cal. Aprilis ad mœnia Urbis perveniissent, ad Ædem Divi Michaelis nemorensis diverterunt: atque ad xi. Cal. Aprilis manè Rmus Cardinalis S. Crucis per portam S. Mamæ absque solemni pompa rectà ad hospitium sibi assignatum deductus est; Rmus verò Cardinalis de Monte podagræ dolore implicitus non priùs, quàm ad vii. Cal. Aprilis, ad hospitium urbanum se contulit; ad xi. verò Cal. Maji in Ædem Divi Petronii prima Sessio habita est; secunda verò ad iv. Non. Junii in eadem Ædem habita est.

Inter alios Cardinales Concilio Præfectos Cardinalis de Monte Bononiam venit, olim ejusdem Civitatis Gubernator, postea Julius III.

Duæ Concilii Sessiones in Ædem D. Petronii habitæ.

MONUM. XXXXIV.

In Lib. = PARTIT. =

De quo supra fol. 165.

Die 29. Augusti 1548.

Coram Legato.

Romulo Amasæo ad Officium Syndici Majoris extracto Angelus Michael Guastavillanus Cognatus ejus a Senatu sufficitur.

PP. CC. ob absentiam Exmi Literarum Humanarum Professoris, & Civis Bonon. D. Romuli Amasæi, qui nuper ex publica Officiorum sortitione ad Officium Syndici Majoris extractus fuit, substituerunt per fabas albas xxxiv., nigr. ii. ejus loco ad hujusmodi Officium exercendum Nob. Angelum Michaelem Guastavillanum, uti ab ipso Domino Romulo per suas Literas postulatum fuit, cum eademmet auctoritate, & facultate, iisdem honoribus, oneribus, & emolumentis, & cum approbatione hactenus per ipsum Angelum Michaelem in ipso Officio actorum, & in posterum agendorum, dummodò rectè, & secundùm justitiæ terminos processerint, & cum abrogatione omnium contrariorum.

In

MONUM. XXXXV.

In Lib. = PARTIT. =

A 1549. *ad* 1555. *num.* 20. *fol.* 98.

1551. 29. Decembris.

Pompilio Romuli filio facultas tribuitur, ut per totum Carnis Privii tempus Bononia abſit, viſendiq; Parentis gratia Romam proficiſcatur.

PP. CC. per fabas albas xxi. nigras x. D. Pompilio Amaſæo ad Literas legendas conducto abeſſe licere voluerunt per totum tempus Carnis Privii proximè futuri, Romam profecto Parentem ſuum viſendi, & nonnulla ſua negotia abſolvendi cauſa, attento quòd Lectiones ſuas proſequetur interim D. . . . . & hac conditione eidem permiſſum fuit diſcedere, ut ante Quadrageſimam omninò rediiſſe debeat.

MONUM. XXXXVI.

In Lib. = PARTIT. =

A 1570. *ad* 1575. *num.* 23. *fol.* 109.

1573. 26. Februarii.

Pompilio ob ejus merita, & in primis ob commendationem factam a Cardinali Philippo Guaſtavillano Gregorii XIII. ſecundum carnem Nepote, & Fratre conſobrino ejuſd. Pompilii ſumma librarum octingentarum quinquaginta pro Lectura Græc. Literar. conſtituitur.

Item placuit Senatui rationem habere virtutum, & meritorum egregii, & doctiſſimi viri D. Pompilii Amaſæi Civis Bonon. Literarum Græcarum in hoc almo Gymnaſio Profeſſoris, & in Albo deſcripti, & in primis commendationis minimè vulgaris Illmi D. Philippi Guaſtavillani SSmi D. N. ſecundum carnem nepotis verbo, & literis de eo, uti de fratre ſuo conſobrino, factæ, ad ipſius ſtipendium, quod eſt librarum ſexcentarum quinquaginta, addiderunt per ſuffragia xxxiii. in gratiam ipſius Illmi Guaſtavillani libras ducentas, ita ut poſthac honorarii nomine pro Lectura ſua capiat, & percipiat libras octingentas quinguaginta, ipſi de pecuniis Gabellæ Groſſæ ſolvendas per ordinarias Tabulas, ſive diſtributiones de more conficiendas, incipien. in prima præſentis anni. Contrariis &c.

MONUM. XXXXVII.

In Lib. = PARTIT. =

A 1576. *ad* 1582. *num.* 24. *fol.* 150.

1581. 30. Martii.

Pompilio gravi morbo laboranti integrum Lecturæ ſalarium perſolvitur.

PP. CC. D. Pompilio Amaſæo gravi morbo laboranti ſolvi mandarunt per ſuffragia xxviii. integrum ſalarium Lecturæ ſuæ præſentis anni; non obſtantibus contrariis quibuſcumque.

Digitized by Google

MONUM. XXXXVIII.

In Lib. = PARTIT. =

De quo ſupra fol. 189.

1582. 15. Martii.

Attenta morbi perſeverantia, & annorum ferè quadraginta Lectura, accedente præterea Cardinalis Guaſtavillani commendatione, Pompilius a legendi onere abſolvitur, reſervata integra ſalarii perceptione.

PP. CC. Excellenti D. Pompilio Amaſæo ad Literas Græcas in hoc almo Gymnaſio annos ab hinc penè quadraginta rotulato, attenta morbi perſeverantia, prout ex fide Medici nobis conſtat, interceſſione præſertim Illmi Cardinalis Guaſtavillani, immunitatem a legendi munere, cum reſervatione integri ſalarii, durante ejus infirmitate, & juſto impedimento, conceſſerunt per ſuffragia xxx., non obſtante Decreto ſuper inde facto ſub die 29. Julii 1570., cui pro hac dumtaxat vice derogarunt, cæteriſque in contrarium facientibus quibuſcumque.

MONUM. XXXXIX.

= IN LITERIS XL. VIRORUM =

1531. *ad Septembrem* 1536. *ſeq. memoria legitur in fol.* 1.

Adì vii. di Decembre 1532. in Sabato.

Adventus Clementis VII. Bononiam anno 1532.

Venne in queſta Città di Bologna il SSmo N. S. Papa Clemente VII., e la ſera alloggiò dentro nella Magione. Dipoi il ſeguente giorno, che fu la Domenica alli viii., venne al Palazzo con la pompa ſolita veſtito con la Stola, & il Cappello di drappo cremeſino.

Alli xiii. detto in Venerdì il giorno di S. Lucia.

Adventus Imperatoris Caroli V. Bononiam eodem anno.

Venne, ovvero giunſe Carlo V. Imperatore, & intrò circa le xxii. hore a cavallo, accompagnato però ſecondo le ſolite cerimonie.

IN

MONUM. L.

= In Lit. XL. Vir. =

De quibus supra fol. 54.

SSmo D. N. XL. Viri.

Clariſſima, Pater Beatiſſime, & maximè conſentientia de virtute tua, & actæ vitæ laudibus hominum judicia, & ſpectatus variis temporibus Sanct. Tuæ animus, ac mirifica quædam voluntas erga hanc Civitatem, ejus omnium Ordinum animos meritò ad ſingularem quamdam, & prope incredibilem lætitiam excitavit. Res verò ipſa perſpicuè nobis in his ipſis Pontificatus tui ſanctiſſimis initiis declaravit, nullo gaudii genere tam expreſſo, & accumulato, nulla tam ſolida ſpe animos, ſenſuſque compleri potuiſſe, quin ea jam multis partibus tuorum in nos, atque hunc populum tuum meritorum magnitudo ſuperarit. (A) Tu nos, P. SSme, & Legatos noſtros ad te adoratum miſſos, ut ex ipſorum priùs Literis, & nuper oratione cognovimus, non modò ſumma benignitate, & ſereniſſima, ac planè Pontificia frontis, vultuſque tui hilaritate, ſed paterna etiam caritate accepiſti. (B) Tu poſtulata noſtra tanta cum celeritate, atque amoris in nos teſtificatione, auctoritate, & ſubſcriptione tua comprobaſti, ut precibus noſtris non multum certè loci reliqueris, ac planè præ te tuleris facilioremⁿ, & procliviorem te ad benè de nobis merendum, quàm nos ad poſtulandum fidentiorem animum attuliſſe. (C) Tu Nepotum tuorum, ſummè illuſtrium puerorum, admirabilem indolem, ac virtutem in hujus Urbis tuæ ſinu ampliſſimi honoris Inſignibus auctam, ornatam, & decoratam voluiſti, ut in eadem Civitate feſta cum cærimonia, & apparatu, inter totius populi mirificos plauſus, auguſtiſſimæ dignitatis acciperent ornamenta, in qua variarum Artium, & Virtutum, per quas tanto honoris apice digniſſimi videri poſſent, fundamenta jeciſſent. (D) Poſtremò verò, ne ullum nobis beneficentiæ tuæ cumulum deſiderandum relinqueres, eum nobis Gubernatorem, atque hujus Reipublicæ Moderatorem miſiſti, quo certè, ſi optio noſtra fuiſſet, neque in concedendo aditu facilioremⁿ, aut humaniorem, neque prudentiorem in imperando, neque in rebus iis omnibus, quibus hujus Civitatis ſalus continetur, providendis, ac circumſpiciendis vigilantiorem, aut ſolertiorem.

A *Summa benignitate P. M. Legatos Bononienſes excipit, qui die 4. Novembris 1534. diſceſſerunt, & die 24. Decemb. ejuſdem anni Bononiam reverſi ſunt.*

B *Poſtulata Civitatis ſubſcribit, & comprobat.*

C *Cardinalitiæ dignitatis Inſignia Bonis a Nepotibus accipi jubet.*

D *Moderatorem optimum* (Joannem Mariam de Monte) *Bononiæ præficit.*

MONUM. L.

rem depoſcere potuiſſemus. Cujus primus hic adventus quemadmodum cuncto huic populo gratiſſimus, atque optatiſſimus contigit, ſic cum acta ejus omnia his ſuæ adminiſtrationis initiis conſimilia, ac conſentanea futura nihil dubitemus, in ſpem certiſſimam adducti ſumus, tuis, Pater Beatiſſime, feliciſſimis auſpiciis, & hujus Præfecti noſtri multò æquiſſimo, ac moderatiſſimo ductu hanc totam Civitatem, atque ejus omnes Ordines non modò à præteritis moleſtiis, & incommodis recreatum iri, verùm etiam otio, tranquillitate, rerum omnium copia beatiſſimam, ac florentiſſimam fore. Quare ſatis jam, ſatis intelligimus, Pater Sanctiſſime, ſummam eam, & incomparabilem lætitiam, qua primum de creatione tua nuncium excepimus, tantam certè fuiſſe, quantam animi noſtri capere potuerunt, nequaquam tamen maximis, & propè divinis B. T. in nos beneficiis parem. Illud igitur reliquum erit, ut quantum animis, quantum ſtudiis, quantum cura, quantum facultatibus denique noſtris omnibus eniti, ac elaborare poterimus, tantum contendamus, ut memoris, grati, piique animi erga Sanctitatem Tuam quovis tempore certiſſima à nobis, & maximè perſpicua documenta proficiſcantur. Vale perpetuò felix, & beatus, Pater Beatiſſime; & tuis in ſe beneficiis, ſupra quam dici poſſit, devinctam hanc Civitatem tuam, quæ ſe gratias agens ad ſacroſanctos pedes tuos advolvit, eadem ſemper benevolentia, & benignitate proſequere. Bonon. Nonis Januarii MDXXXV.

MONUM. LI.

= In Lit. XL. Vir. =

De quibus ſupra fol. 173.

SSmo D. XL. Viri. Romam.

Romulus Romani cum munuſculis mittitur ad Cardinales Pauli III. Nepotes deferendis.

Miſimus de ſententia Prolegati noſtri Romulum Amaſæum Civem, & Scribam ſecretiorem noſtrum cum munuſculo ad Ampliſs. Cardinales Nepotes tuos, quo teſtatam voluimus lætitiam, quam accepimus eo die, quo in hujus Civitatis tuæ, Patriæ noſtræ, quaſi gremio tantæ dignitatis cum maximo totius populi plauſu inſignia acceperunt. Eidem verò Romulo mandata quædam dedimus ad Te, Pater SSme, quæ ut benignè auſcultes, & in aſſentiendo æquum te, & facilem æquiſs. poſtulatis noſtris præbeas, cum quanta animorum poſſumus inclina-

Negotia nonnulla in mandatis habet, cum Sanctitate Sua pertractanda.

MONUM. LI.

Quæ eidem Pontifici commendantur.

natione rogamus. Cupimus verò, ut de omnibus, quæ nomine noſtro tecum aget, ei fidem ſummam habeas, & ut eum ad nos mandatis ex ſententia confectis ſtatim remittas. Vale, Pater Beatiſſime, & nos virtuti, ac ſanctitati Tuæ deditiſſimos, ut ſoles, dilige. Bononiæ v. Cal. Junii MDXXXV.

MONUM. LII.

= In Lit. XL. Vir. =

De quibus ſupra fol. 174.

Alli Rmi, ed Illmi Nipoti di N. S. li XL.

Negotia eadem dictis Cardinalibus commendantur.

Mandiamo M. Romolo Cittadino, & Segretario noſtro a VV. Rme, & Illme SS.; per qual cauſa lo intenderanno per ſue parole. Et perchè in alcune altre commiſſioni, che ha da noi, avrà ricorſo a VV. SS., quelle ſi degneranno per amor noſtro darli introduzione a N. S., & preſtarli ogni favore, acciocchè da S. B. ritorni bene iſpedito, quanto più preſto ſia poſſibile. Il che per lo amore ci dimoſtrano portare, & le corteſi offerte, che ci hanno fatte a bocca, & hor ci fanno in ogni ſua Lettera, ci confidiamo faranno prontamente. Ancora le preghiamo, che al detto noſtro Segretario di quanto eſporrà loro in nome noſtro preſtino la medeſima fede, che fariano alle perſone noſtre. Iddio conſervi, & proſperi VV. Rme, ed Illme SS., alle quali, & allo Illmo Sig. Ottavio con ogni riverenza baciando le mani ci raccomandiamo. Di Bologna 28. Maggio 1535.

MONUM. LIII.

= In Lit. XL. Vir. =

De quibus ſupra fol. 174.

Commiſſario Bononiæ de negotiis, ut ſupra.

Per altre mie potrete aver inteſo il giunger noſtro in Fiorenza, e ſimilmente il partire, che fu a dì 30. Aprile. Giunti la ſera a Sambuco lungi da Fiorenza miglia 16., e poi l' altro giorno alle ore 18. circa pervenimmo a Siena. Quì cominciai ad inveſtigare dell' Anthinoteo, *qui nuſquam gentium eſt a me inventus*; Bernardum quemdam ejus conterraneum, & contubernalem, *dum Senis erat, conveni*, a quo accepi eum Piſcariam ſe contuliſſe, oppidum non multùm a Mari diſtans. Inteſi eſſer Uomo di anni 40. Doctor. in Jure Canonico, gratiſſimo al Cardinal de' Medici, Uomo affabile, e benigno, amator de' Letterati, in modo che avria certo ottenuto l' intento mio. *Verum ſic omnes perperam cogitationum noſtrarum ſuccedunt eventus*; ſed plerumque melius nobis conſulit Deus quid conveniet, rebuſque ſit utile noſtris, quàm ipſimet. Ora partitomi da Siena di mala voglia per tal peſſima nuova, giunſi l' ottavo giorno nella Santa Terra, che fu adì otto Maggio. Quivi ritrovai lo magnifico Oratore ſano, e di buona voglia. Mi abbracciò, e fecemi gran carezze; tuttavia ſi dolſe, che io fuſſi venuto a perder tempo, (B) imperocchè pargli impoſſibile, che io mi acconci con alcuno di queſti Signori per piu ragioni. La prima delle guerre, per le quali tuttavia la Corte ſtà fieva, e piuttoſto ſminuiſcono ſpeſa, che accreſcerla; ed in queſti giorni ſono ſtati circa 14. Cardinali, che hanno cacciato via la maggior parte della ſua Corte. La ſeconda è, ch' egli dice, che io ſon venuto in un tempo, che tutta la Corte ſi ſcioglie, imperocchè al principio di Luglio, ed anche avanti, cioè dopo la Pentecoſte, tutti li Cardinali vanno chi in quà, e chi in là, e vi ſtanno fino all' Ottobre . . . . d' acconciarmi co' Veſcovi, dice, che biſognaria totalmente alienarſi dalle Muſe, e però pare, che mi conſeglj, che ritorni indietro, ch' egli poi verrà queſto Novembre a Venezia, e vedrà d' acconciarmi ſenza fallo con Monſig. di Padova . . . . Poi ho viſitato Maeſtro Egidio, il quale mi ha tanto accarezzato, che impoſſibile è a credere, e più vol-

B
Nullam ibi occaſionem nanciſcitur, cujus ope officium aliquod ineat, reique domeſticæ conſulat.

MONUM. CVIII.

volte ha lacrimato meco la dura noſtra ſorte; dicendo, che ſe per cauſa alcuna gli foſſe grato haver maggior grado, gli ſarebbe per gli Amaſei ſuoi, i quali tanto ama, quanto ſe ſteſſo . . . (C) Mi conſiglia accettar il partito delli Frati di Padova, con li quali dice potermi acconciare con una parola, e li averò le ſpeſe, e comodità di Libri, e Ducati ſei all' anno. Altra ſperanza non mi dà. Hammi fatto aſſai offerte; tamen le parole ſono parole. Di queſto delli Frati, come d' ogni altra coſa, mi governerò dietro il parer voſtro . . . . Al putto diedi la lettera, il quale mi parlò in queſta forma dicendo, che mai non aveva atteſo a lettere, e che non aveva biſogno di Maeſtri di grammatica, ma di qualche Maeſtro di ſcherma, e che queſto era il ſuo eſercizio. Lo commendai di ſua buona opinione, tuttavia moſtrandogli, che le lettere ſono d' importanza grandiſſima a ciaſcuno; Aſinus tamen ad Lyram. O perditam adoleſcentis audaciam . . . (D) Con M. Pedro parlai longamente latinè alla preſenza di diverſi Gentiluomini cortigiani. Egli mi riſpoſe con uno ſtile Notareſco, e goffiſimo, che per amor di Voſtra Eccellentia, al qual' era affezionatiſſimo, farebbe ogni coſa, ma che in queſta Corte guardano l' eſteriore, e non l' interiore Uomo, e che, ſi toga ſordidula eſt, è difficil coſa trovar ricapito. L' Uomo di anni 55. Il più graſſo non vidi mai con gli occhi, non legge più; ſi dice, che compone. Ha Ducati 800. di beneficj . . .

C

Auguſtiniani Fratres ex Cœnobio Eremitarum Patavii ab eo in Literis Humanioribus erudiendi proponuntur a Magiſtro Ægidio, qui poſtea Cardinalis fuit.

D

Cum Phædro latinè colloquitur.

MONUM. CVIIII.

Cod. A. 59.

Romolo da Roma a ſuo Padre in Briſighella.

A' 6. Giugno 1508.

Iterum Auguſtiniani Fratres ex Cœnobio Eremitar. Patavii inſtituendi. Romulo proponuntur.

Ejus officii conditiones non contemnenda ex vigilantia, & auctoritate Magiſtri Ægidii, qui tum erat illius Ordinis Prior, ut ajunt, Generalis.

In Caſa dell' Ambaſciatore (*di Venezia*) non faccio niente, perchè è fornito beniſſimo di ſervitori in omni genere . . . Maeſtro Egidio mi conſiglia, che io vada a Padova con la ſua lettera, e mi moſtri al Priore, e incaparri il luogo, il quale ſarà mio, perchè li Frati Noviz patiſcono gran detrimento, per non aver Preceptore, e li avrìa le ſpeſe convenienti, perchè dice, che dappoichè è Generale, ha voluto, che ogni giorno nel Convento di Padova ſi cuoccia carne ſecondo l' ordine de' Secolari in mo-

MONUM. CVIIII.

modo che dice, che assai meglio si vive, che nelli Collegj; oltre di questo avrò mezzo Ducato al mese, che saranno sufficienti &c. . . . La lettera di V. S. gli è piaciuta, e mi ha risposto, che expectanda est occasio, e che collocarmi nella Corte di Roma è un precipitarmi, attento l' ingegno, e fondamenti, che conosce essere in me, e che meglio saria temporizar con li Frati qualche tempo &c. Sicchè per questo non accadendo altro partito farò con voi al principio di Luglio . . .

MONUM. CX.

Cod. A. 59.

Romolo a suo Padre.

1509. 23. Gennaro.

Patavii ex Cœnobio Eremitarum Augustinianæ Sectæ.

Romulus Patavii versatur, & Augustin. Fratres instituit.

Li giorni passati ricevei due vostre, in una delle quali m' imponevate, che subito andassi a Venezia, onde dimandata licenza a questi Rev. Padri, ed avutala per due giorni solamente mi trasferii a Venezia &c. Io qui sto bene, e contento. Vero è, che non posso cavar un soldo dalle mani a questi Frati.

MONUM. CXI.

Cod. A. 59.

Romolo a Gregorio da Padova.

1509. 18. Aprile.

Suam adhuc operam prædict. Fratribus adhibet, ab eo tamen, ut apparet, munere mox discessurus.

Dopo che partii da Brisighella giunsi a Ravenna. Il Sabbato a ore 14. giunsi in Venezia . . . Dapoi arrivai à Padova in Monasterio, dove fui ricevuto benignamente. M. Giovan Varda era oramai assettato in casa, e però subito mi è stato necessario entrar in casa sua, e per buona entrata mi fu donato un Ducato. Non ho ancora lasciato li Fraterculi, perchè mi hanno costretto andar ogni giorno per un' ora ad insegnarli, finchè si provedano, e mi satisfaranno del tutto. Diis gratias habeo, che non v' è Uomo in Padova più onoratamente per condizion mia allogato di me.

Cod.

MONUM. CXII. *Cod.* A. 59.

Romulus Bononiæ Gregorio Utinum.

29. Nov. 1509.

Romulus Bononiæ verſatur, & in præclaras ejuſdem laudes ex omni fonte depromptas effunditur.

. . . In hac eminentiſſima Urbe nihil eſt, quod non ſummopere animo meo ſit perjucundum; nam & loci me capit ſuavis amœnitas, grata eſt aeris ſaluberrima temperies, propemodum Felſineorum Procerum affabili urbanitate oblector, delectat Auditorum (qui undecunque hujus florentiſſimi Gymnaſii perciti raritate huc turmatim confluxerunt) garrula frequentia. In ſumma nihil eſt, quod animum non mira tangat voluptate. Hic annona longè, quàm Patavii, vilior, hic omnium rerum, quas Natura deſiderat, ſumma copia, hos colles Ceres, Lyeus, Pomona, & Venus adeo amant, ut ſibi in iis ſedes ſuas elegiſſe videantur. Hic comptiſſimæ Matronæ, facetiſſimæ Virgines, quod & multum decoris cuicumque egregiæ Civitati affert. Hic Ædes conſpicuæ, hic excultiſſima Deorum delubra, hic & liberalium omnigenarum Artium celeberrimus concurſus, ad quæ omnia ſecuriùs perfruenda nihil præter pacem omnes deeſſe conclamitant.

MONUM. CXIII. *Cod.* A. 59.

Romulus Bonon. Gregorio Venetias.

4. Martii 1510.

Romulus paulo ante Imolæ commoratus ibi in ephimeram febriculam incidit.

. . . Scito itaque mihi binas tuas redditas eſſe: harum unæ, dum Dionyſia ferverent, delatæ ſunt, quibus dudum reſpondiſſem, verum ita octo dierum interititio importunis ephimeridis febriculæ caloribus exæſtuavi, ut ex recenti ægritudine vix priſtinas reſumpſerim vires: quod etiam obtigit, ut cum Urbano noſtro his licentioſis floralibus exhilarari nequiverim; alteræ verò nuperrimè ſunt redditæ, Porocornelio Pellinam tranſmittiſſæ . . . . Commendatitias tuas gravitſſimo Juris conſulto Joanni Campegio reverenter reddidi, qui ita filium tuum diligit, ut jam ferè præſtantiſſimæ prolis numero eum adjugaverit. Pius, etſi me jampridem in ſuum patrocinium humaniſſimè ſuſceperit, ejus tamen erga nos indiſſolubili benevolentiæ plurimùm ex commendatione tua acceſſit, ut tu-te ex ejus litteris perſpicies.

Bononiam reverſus commendatitias Patris Literas Joanni Campegio Juris Conſulto gravitſſimo reddidit, a quo humaniter, ceu filius, ſuſceptus eſt.

Col.

MONUM. CXIV.

Cod. A. 59.

Romulus Imolæ Gregorio Venetias.

13. Martii 1510.

Romulus Imolam redit ad colligendas paterni, ut ipſe ait, naufragii reliquias.

Cum has obſignaſsem ad ædes Tabellarii, cui eas credere conſtitueram, accurri, qui moræ impatiens jam evolaverat. Qua de re mutato propoſito operæ pretium cenſui fore, ſi Imolam oblata fortuiti otioli opportunitate properarem, ubi & politiſſimi Urbani noſtri perfruerer colloquiis, & naufragii tui reliquias, ne perirent, curarem; quod ubi confecero, te prolixiùs certiorem faciam: nunc autem cogor ex allatoris acceleratione manum ex tabella detrahere. Tantum ſcito, me Forocornelium applicuiſſe, & Urbani noſtri, a quo toties per literas liberaliſſimè laceſſitus ſum, hoſpitium iniiſſe.

MONUM. CXV.

Cod. A. 59.

Gregorio in Venezia a Romolo in Bologna.

24. Novembre 1510.

Gregorius Romulo mandat, ut Imolam maturè ſe conferat, & nonnullas tum ſcripturarum, tum rerum ſuarum reliquias ab Urbano Reiſecco recuperet.

Per più e più mie ti ho ſcritto, che tu vada ad Imola a vedere quelle mie robicciuole, & tamen non ſei mai andato, e non ſo donde ciò ſia proceduto. Duolmi aſſai, che non mi giova lo ſcrivere, e maſſime in queſta coſa di pochiſſima fatica, e minore ſpeſa, importandomi tanto aver quì quelle mie reliquiole, sì per li libri, come, & maximè, per le coſe, che laſciai nella mia caſſetta in mano di M. Urbano Reiſecco, dove ſono li miei privilegi, e diverſe mie compoſizioni, ed aſſai lettere di diverſi, e maſſime di coſe di caſa etc., le quali tutte coſe mi ſono cariſſime, e perderei più volentieri Ducati 200., che tutte quelle coſe; donde io ti impongo, che omninò venendo Ser Lippo della Gabella a Bologna con le mie, e portandoſi l' anneſso Inventario, che tu debba andare con lui ad Imola da M. Urbano Rieſecco, e riconoſcere tutte quelle mie robe, e metter ordine con eſso M. Urbano, e Ser Lippo, che con le ſue mercanzie mi meni etiam le mie reliquiole . . . Ma perchè io pretendo di pagare M. Urban Reiſecco di circa meſi due, e giorni

MONUM. CXV.

ni 24., che ſtetti in caſa ſua, e darli a buona ſtima Ducati quattro, piacendoli coſi per non parere del tutto ſconoſcente; benchè li reſterò ſempre obbligatiſſimo, e ne farò in omnem eventum maximè demonſtrationem pro viribus; per tanto non li potendo de preſenti mandar li denari, ſe li piacerà, potrà pigliar tante di quelle mie coſucce a buona ſtima, che montino li predetti Ducati quattro. E per tanto nel ſottoſcritto Inventario ho poſto il prezzo ſolùm a quelle coſette, che mi pareria darli per conto di tali Ducati quattro, ſicchè potrà ritenere quelle gli piaceranno . . . Per tanto è neceſsaria la tua preſenza omninò ad Imola per ogni riſpetto.

MONUM. CXVI.

Cod. A. 59.

Foris.

Oratorum Juriſperitiſs., Juriſperitorum Facundiſſimo D. Gregorio Amaſæo Patri. Utini.

Intus.

Tu verò, ſanctiſſime Pater, mitis, & facilis miram erga filium, non tamen ab ingenio tuo alienam, exhibes clementiam, dum te hominem & hominis patrem memor, nobis ſi non das, at ſaltem veniam ſperari jubes: quo me magis par eſt conniti quota ex portione tantæ benignitati paria referre. Accipe igitur noſtri animi paucis ſententiam. (A) Violantillam dilexi diu, antequam qualem diligerem judicarem; non enim ego, ut multi, dico me priùs judicaſſe, quàm diligere cœpiſſe. Ea mihi non roganti ſolum, verùm ambienti, & affectanti eſt deſponſata, nec ad hoc me certo conſilio adductum contenderim, tecum præſertim, apud quem longè duco ſatius deprecari, quàm errorem excuſare, ſed me huc amor, ſors, juventus impulit, dicerem & fatum, niſi amentium, & inſcitorum putarem aſylum fati neceſſitatem. (B) At poſtquam altos, quos vita hominum habet, receſſus lium in Virgine aliquatenus rimatus, accrevit cum judicio amor, & quam priùs diligebam, nunc peramo; (C) peramari ſentio. Qui eſt amor (ut Plautinus inquit) Palæſtrio cultu optimus, quos amo illa colit, quos negligo odit, afficitur ita rebus meis, ut paternas dememinerit, angitur dolore meo, lætitia, ſi qua tamen occurrit, prægeſtit, conſulit, hortatur, monet, ſimplicitate, ſed non ingenio, puellari; ægrotanti nuper mihi quæ non requiſivit remedia? quæ non adhibuit ſolatia? quam non præ ſe tulit ſollicitudinem?

A *Sponſalia cum Violantilla (Guaſtavillana) incunda commemorat.*

B *Violantillæ virtutes, & laudes.*

C *Mutua inter illam, & Romulum benevolentia.*

MONUM. CXVI.

Noli credere, obſecro, me nimium amori indulgere; nunc enim mihi eſt non ex amore laudabilis, ſed ex laude amabilis. Reſcivit nuperrimè, te inſcio, ſe mihi in manus veniſſe; maceratur propterea, perfert plus quàm vellem, mihi indignationem tuam ſubtimens, impatiens; & tamen animum non deſpondit; quin ait ſe lucem malle, quàm me linquere, quem ſibi Deorum (eſt enim hæc Fœminarum fides) deſtinaverit conſilium. His cui non fiat cara, quem non in ſui amorem pelliciat? me certè ſic pellexit, ut te uno excepto, (perfer, amabo, vera non diffitentem) mihi ſit carius, aut jucundius nihil, nec crediderim facilè ea relicta poſſe vel unum diem tanto ſupereſſe amori. Jube tamen poſthabeam; quòd vivo, tuum eſt, optime, & ſanctiſſime Pater, una potes opera mihi & ſpiritum abrogare. Hiſpaniam quòd diſſuaſeris ſuſpiras: jube Parthos, jube Scythas: Parthos, & Scythas adire non recuſabo. Habes jam quid mihi animi. Erat in Epiſtola tua, in qua cum eruditione lactea dicendi copia, cum ſeveritate lenitas elucebat incredibilis, hujuſce Urbis deſiderium quoddam; utinam eſſet utilitate aliqua ſubnixum, quod tamen & fore ſpei nonnihil eſt. Pius Romæ Marco ſucceſſit, Crocius eſt Lucam accerſitus, gratioſi ambo in hac Urbe parum, feriata eſt utriuſque Academia (D) Quid ſi tu alterutram capeſſas? favoris apud Sexdecim Viros habemus non pauxillum, operæ pretium eſſet, ſi ſuaderet commoditas, huc contenderes; urget enim plus rumore præſentia; poſſet deinde te profecto honorificentiùs negotium tranſigi. Quod ſi te obvia non movet occaſio, at ſaltem veni Urbis inviſendæ ſtudio; velim te tamen & veſte, & famulatu auctiorem; nam (eram in hac Urbe dicturus, niſi itidem ubique uſu evenire cogitaſſem, cui minimum opus eſſet) exteriori homini tribuitur plurimum. (E) Quòd mihi tantopere velit, & cupiat benè Mariantilla, hecatoniani iſthæc philtri vis facit, me certè Matrem appellaſſe eatenus pœnituit, quod veriùs, & licentiùs non potuerim: quam meo, & Jantidis nomine ſalutabis, quæ meis, multum (ut debet) tribuens prædicationibus, illam non amat ſolùm, verùm & ſocrum cupit. At Patruum non dignor impræmeditatis. Audi jam poſt nugas meas Nicolaum Maſerium conſanguineum, quem quantopere lubenter agnoverim, hinc perſpice, quòd recedere tam citò diſcrucior. Vale. Bononiæ MDXII. vii. Cal. Junii.

Filius.

Cod.

D

Patrem Romulus, ut Bononiam ſe conferat, hortatur, vel capeſſenda Lectura, vel Urbis inviſendæ ſtudio.

E

Matris Romuli nomen indicatur. Ipſius in filium charitas.

MONUM. CXVII. *Cod.* A. 59.

Romulus ad eumdem Gregorium.

Ternas tuas, Pater mitiſſime, uno accepimus articulo literas, graves, Dii boni, & amoris erga me, humanitatiſque plenas; quod quidem me non merita, & officia in te mea, ſed tua indefeſsa jubebat ſperare facilitas, manſuetudo, lenitas, cui obſecro vos, immortales Dii, perinde ac æquis hæc ſpectatis luminibus, me aliquando parem facite. Tibi verò, Pater optime, qui me tuo perpetuo, & nunquam interituro beaſti beneficio, perſuade poſthac tam morigero, tamque devincto te gaviſurum filio, ut quem illi pietate, amore, animi moderatione exæques, vix unum & alterum reperias. Habebis filium, quem, ſi hinc profectus eſſet, haud ſatis ſcio, ſi diu eras habiturus; habebis, mihi crede, qualem dudum optaſti animo, & ſpe præſumpſiſti; (A) Nurum præterea, qua non alia potuiſſet plus votis tuis accedere, nuncupatam deinde tibi ſobolem, quæ, ſi mihi ulla obtigerit, redivivam tibi ſuggeret ſpem, & ſemper recentem novabit lætitiam. Non te fugit profectò, Pater ſanctiſſime, penſiorem nullam ingraveſcenti ætati poſſe obtingere voluptatem, quàm novellam propagationem, nuperoſque ex ſanguine ſuo palmites, ideſt filiorum filios ſpectare. Hæc etenim in arcano Moſis volumine, unde graviſſimæ tuæ epiſtolæ bona defluxit pars, Dei Opt. Max. Clientibus ſummæ Beatitatis loco imprime (*ſic*) præmia proponuntur. (B) Reſpira itaque, & venerandæ iſti canitiei tuæ certiſſimum fomentum, certiſſimam ſponde fœlicitatem, quam Deus Opt. Max. tibi jugem, & impromiſcuam elargiatur. Quod mandas, ut Venetias veniam, id quidem ultro debui velle, & quidem volo, tum quòd mea intereſſe arbitror plurimi, tum multò magis quòd te ſalutare coram plus æquo cupio, cujus mihi ſemper venerabilem imaginem, & diuturni mentis excurſus, & ſomni identidem reddunt imitamina; ſed in præſenti, quàm poſſim otioſè, aut commodè, facilis collectio. (C) Afflictatus ſum dies ferè xv. pernocti febricula, matutinis ſtomachi languoribus, & pomeridianis ſtato quodam ordine capitis vertiginibus, a quibus vix mihi ipſi me reſtitutum argumento eſt omnium membrorum, & præcipuè crurum imbecillitas. Ingerit æſtivus pleriſque omnibus

A *Sonſalia cum Violantilla commemorat,*

B *Quibus Gregorius Pater libentiſſimè annuit.*

C *Infirma Romuli valetudo.*

MONUM. CXVII.

D

Ad Bononienſem Humaniorum Literarum Lectiuram contendit Romulus.

E

Sponſalia eadem a ſe Hieron. Patruo, & Præceptori ſuo per tres epiſtolas nunciata eſſe teſtatur, nullumq; ab eo reſponſum factum.

F

Violantillam nurum fore Gregorio gratiſſimam ominatur.

G

Iterum Matris Romuli nomen innuitur, eique Violantillam, tanquam Socrui, ſe dedere declaratur.

apud nos fervor id genus creperos morbos, qui ſi fuerint recidivi, lethales dubio procul exiſtunt. Appetit deinde Scholaſticarum prælationum tempus, quo ne abſim eſt mihi cautio; (D) nam vel invitus compellor a compluribus & amicis, & patronis ex tribus vacuis unam ambire humanitatis ſedem, quæ ſi mihi, Dis auſpicibus, obvenerit, ſuccreſcet ampliora capeſſendi ſpes. Utcumque tamen res ceſſerit, ſpero me ad Cal. Septembris iſtuc navigaturum. Violantilla, bona, quoniam tu ita jubes, alite Parentum arbitratu mihi adjungetur, qui talem te filiæ ſocerum nactos medullitus concepto exultant gaudio. Tranſigentur ita reliqua, ut tu laudes, cæteri non reprehendant. (E) Scripſi ad Hieronymum Patruum, & Præceptorem non pœnitendum iterum, & tertiò; doleo accipi ab eo literas nullas, cui eſſe expoſtulationis de me locum indigniſſimè fero. Dabo tamen operam innovata ſalutatione, ut intelligat nulli in cultu, amoreque meo, præterquam ſibi, priores cedi. Quod Nicolaus Maſſurius Gentilis noſter tam commodè de recenti ſentiat affinitate, facit quod ſolet perhumanè; alioqui quod laudabile eſt, etiam ſi a nullo laudetur, ſatis ſuperque ſuapte natura commendatur. (F) Spero equidem fore, ut cum Nurum agnoveris, te haudquaquam tam mitis pœniteat indulgentiæ. Quæ eſt tantopere ad tui amorem, & perpetuam veneratienem devincta, ut tibi ſe propenſiùs, quàm Parentibus, a quibus genita, educata, inſtituta eſt, affici non ſemel mihi dejerarit. Nec me ejus fallit dejurium, cum hoc aliunde conjiciam, facilè ſocerum nominat, ignotum collaudat, & tam diu ſibi ignotum eſſe differtur. Diſperem ſi unquam ad eam accedo, quin de te ſedulò percontetur, & longos excitet ſermones; cognoſces, cum adfueris, me cum in hoc vera proloqui, tum in cæteris dementitum minùs; vereor enim, ne me putes amori nimis indulgere, ego verò cum Cæcilio ſentio amantis eſſe quem ames laudibus non onerare. Vale, & me (G) Mariantillæ vel cariorem facias, cui patagiolum præſto erit, penſabiturque tarditas muneris æſtimatione. Violantilla ſe illi dedit, & inſinuat non ſeciùs quàm ſocrui par ſit. MDXII. Bononiæ vi. Idus Julias.

Romulus filius.

Cod.

MONUM. CXVIII. *Cod.* A. 59.

Foris. Excellmo Juriſconſulto, & Oratori D. Gregorio Amaſæo Utinenſi Patri ſedulò obſervando.

Utini in Mercato Vecchio citò, & fideliter.

Intus. Dum haſce demoror fido commiſſurus tabellario literas, Violantillæ Pater lenta, ſed perniciosa corripitur febri; accedit ad ægritudinem ventris profluvium cum hemicraneæ tormento jugi, quibus eſt citra decimum diem in communem locum abire compulſus. Pridie illius diei, quæ ejus fatum præceſſit, teſtamento omnibus Filiabus æquam dotem ſine cura diſcriminis legavit. Doti Violantillæ & Codicillis, & Teſtamento bona omnia ſua aſtrinxit, mihi Penates Liberos non ſemel commendavit, cooptavit quatuor hujuſce Urbis Clariſſimos Viros Liberorum Tutores, quibus me, & Helenam Uxorem ſuam aſcivit. Rogavit inſuper moribundus me per genium, dexteramque meam (dextra enim me detinebat) uti ad manes ſe lætius vellem migrare, quod eſſet, ſi cariſſimæ Filiolæ conficeretur connubium, illique ego pronubum annulum conjugalis fidei arrhabonem collargirer. Refragari nec placuit, nec licuit, ſummis Viris circumſiſtentibus. Placuiſſet tamen, & licuiſſet, ſi obſequio noſtro Tu, circumſpectiſſime Pater, priùs fores non recluſiſſes. Adjugata eſt igitur mihi Violantilla lugubribus quidem tædis, & ferali flammeo, ſed fauſtiter ſatis, ſi modo nobis in puppim auræ tui ſplendoris flaverint; ſe illa quidem in tuum ſinum dat, ſolum te Patrem agnoſcit, ſolum te Patris vice, & dignitatis ratione impenſiùs veneratura, ſi filiam fueris dignatus. Bononiæ MDXII. vi. Calen. Auguſtas.

Romulus filius.

Pater Violantillæ moritur.

Dotem ante obitum illi conſtituit, pronubumq; annulum eidem a Romulo dari poſtulat.

Romulus non refragatur;

Sponſalia propterea cum illa jam inita.

MONUM. CXIX. *Cod.* A. 59.

Gregorius Utini Romulo Bononiam.

7. Nov. 1512.

Gregorius filio de reſtituta valetudine, & de obtenta Humaniorum Literarum Lectura gratulatur.

. . . In lætitiam exhilaratus ſum, cum per Literas tuas mihi jucundiſſimas, Diis benè juvantibus, convaluiſſe, omniaque ad Diatribam Humanitatis indipiſcendam ad vota ſucceſſiſſe intellexi. Quapropter, mi Fili, clementiſſimo Jeſu Chriſto Servatori Noſtro immortales gratias agens, tibi, mihique utraque de cauſa plurimùm gratulor, tum ob priſtinam ſalutem recuperatam, tum quia aſpirante fortuna in antiquam Patriam reſtitutus, vix prima lanugine depoſita, ſummo cum honore publicè profiteàris.

MONUM. CXX. *Cod.* A. 59.

Foris. Artium, & Juris Utriuſque Doctori, Poetæ, & Oratori inſigni D. Gregorio Amaſæo Patri Obſerv.

Utini in Mercato Vecchio.

Intus. Greg. Patri, Hieronym. Patruo S.

Romulus jam ab anno 1513. inter Academicos Bonon. Profeſs. relatus, & magno plauſu exceptus.

Circa finem hujus Epiſtolæ, quæ tota eſt in obitu Julii II., & in electione Leonis X., eorumque laudibus referendis, hæc habentur = Ego inter Academicos Profeſſores haudquaquam noviſſimus ex animi voto valeo, nuperque Horatii Arte ad umbilicum redacta, & Tibulli prælectione cum in frequentiſſimo auditorio amoris & laudes, & probra in communes locos conjiceremus, eo ſumus excepti plauſu, ut nec majorem (neſcio an dicam, ſed vanum profectò non eſt) Claſſici Profeſſores nedum ſortiri, ſed nec ſperare potuiſſent . . . . . Vale. MDXIII. vi. Cal. Aprilis.

Romulus F.

Cod.

MONUM. CXXI. *Cod.* A. 59.

Romulus Bononiæ Gregorio Utinum.

19. Junii 1513.

Romulus Orationem a se pro Gymnasii Præfecto habitam memorat,

Eamque typis impressam, & ad hominum manus, se invito, perductam

Patris, aliorumq; Utinensium judicio subjicit.

. . . Subit vestrum, tamquam Delphicæ Cortinæ, judicium Oratiuncula nostra, quam proximè in celeberrimo principum Virorum, & Scholasticorum consessu pro Gymnasii Præfecto non sine maximo plausu habuimus. Eam ego decreveram diu in scriniis nostris delitescere, & censura vestra decies ad unguem castigari, priusquam manibus hominum attereretur; sed non passus juxta doctus, & magnanimus Gymnasiarcha, qui nostram posthabuit, dum suæ se putat iri consultum gloriæ. Legitur, & frequens in manibus habetur. Vos, tamen, tamquam adhuc re integra, Quintilium agite. At nescit vox missa reverti. Etiam; sed si non huc, (quamquam & huic multùm) aliis certè emendatio vestra conferet plurimùm.

MONUM. CXXII. *Cod.* A. 59.

Romolo in Bologna a Gregorio in Udine.

23. Settembre 1513.

Pompilii ortus, in quo multum Amasæa, & præsertim avitæ similitudinis.

Optimatum, & Scholarium favor pro Romulo ad Humanior. Literarum Lectionem denuo promovendo.

Violante, come vi scrissi per la passata, a dì 18. Agosto a ore 3., e mezza fece un bellissimo putto maschio, in quo multum Amatæ, & præsertim avitæ similitudinis; nel giorno del Battesimo lo nominai Pompilio, e furono Compadri tre ricchissimi Uomini di Bologna M. Zuane Bonason Dottor in utroque Jure, e grandissimo Fautor nostro, M. Ludovico Ghislardo litteratissimo in Umanità, M. Battista Vitali ricco Mercante di seta. Adesso siamo per essere ricondotti in nuova riformazione di Studio, al che abbiamo sommo favore, e grazia di Scolari, quanta già 50. anni alcuno Umanista, e qualche favore degli Optimati; ma grandissimi contrasti di Dottori, i quali cercano per vigore d'uno Statuto del Collegio loro escludere tutti gli Forastieri, salvo i chiamati per necessità; e nuovamente sono ritornati due degli vecchj Umanisti. L'esito con molte altre cose lo riservo alle lettere prime.

MONUM. CXXIII.

Cod. A. 59.

Hieronymus Romulo ex Fratre Nepoti.

Julidi 25. Jan. 1514.

Matura de nuptiis noſtris gratulatio maximo me gaudio affecit, ſperoque fore, ut Diis benè juvantibus omnia tuis ſuccedant votis. Sera verò Felſinei connubii tui gratulatio indè profecta eſt: ultimus enim, & externo nuntio te duxiſſe (A) Violantillam in Uxorem trium omnium Maſeorum intellexeram; cum inter primos me certiorem facere debuiſſes, & Patruum, & Præceptorem, ſacroſancto exiſtente Matrimonii jugo. Ignoſco tamen ætati, ignoſco amoris vehementioribus faculis, ignoſco tandem rubori, lætorque, te ex animi tui ſententia coniugem (B) nobilem, & moratam, tibique deditiſſimam eſſe ſortitum, ex qua pulcherrimum filiolum jam ſuſceperis. Neſcio tamen, ſi addere malum malò eſt venia dignum. Poſtquam enim planè perceperas, me (C) de Guaſtavillanorum affinitate, Bononienſique conjugio cuncta audiviſſe, deque (D) publicæ prælectionis conditione nonnulla ſubolviſſe, quid fuit in cauſa, quodque præpedimentum tuis literis, quin omnia familiariter mihi innoteſcerent? ut quid actitares, ad unguem perſcriberes, ut nepotem decebat, (E) diſcipulum decebat, alumnum Chironii antri decebat? nihil aliud profectò fuit, niſi negligentia oblivioni conjuncta. Sed ut palinodiam canamus die Converſionis Pauli, non te fugiat, tuas virtutes, rariſſimamque eruditionem, quam meis auſpiciis es conſecutus, te mihi cariſſimum reddidiſſe .... (F) Hac tamen lege fœdus tecum ferio, ſi epithalamium concines genio, & Charitum choro non ingratum, ubi Amaſæam, Thyrſiamque gentem longo ſyrmate poematis celebres, nec Felſineos Atavos ſilentio involvas, novamque tuam coloniam, ſeu remigrationem narres.

A
Violantillam a Romulo in Uxorem ductam commemorat.

B
Illius nobilitatem, & mores commendat.

C
De Guaſtavillanorum affinitate gratulatur.

D
Publicam Romuli prælectionem memorat.

E
Dolet ſibi Patruo, & Præceptori prædicta omnia per Nepotis, & Diſcipuli (Romuli) *literas non innotuiſſe.*

F
Se veniam daturum, & fœdus cum illo initurum pollicetur, ſi epithalamium concinat.

Cod.

MONUM. CXXIIII. *Cod.* A. 59.

Romolo a suo Padre da Bologna.

A' 19. Ottobre 1514.

De literis agitur in Ragusæo Gymnasio vel a Gregorio, vel a Hieronymo tradendis.

Quanto alla speranza del Beatissimo per mezzo del Horticelato nostro, non so quello mi dica, perchè già vedo, e sento non ragione, ma forte regger le cose del Mondo. Molti di qui sono iti con massima speranza per la coscienza de' benefizi fattigli, mentre era in minoribus: sono tornati irremunerati dopo massimi dispendj in sua propria Corte dieci valentissimi Uomini, che stentano, patiuti da procrastinazione; onde penso, che quei, che predicano questa mirifica sua liberalità, lo facciano per dar credito alle opere sue. Del partito Ragusco molto mi piaceria, che succedesse o per voi, o per M. Hieronimo nostro, perchè sarebbe e di guadagno, e di riposo, e massime considerata la penuria di simili partiti. Imperciocchè a Roma la prima Lettura, la quale ha al presente il Pio, non eccede Ducati 100. mal pagati; & il medesimo intendo essere a Venezia. A Milano, Pavia, Ferrara tutte le Letture di Humanità cessano, in tal modo che li valenti Uomini mendicano bassissimi partiti, come Jano Parrasio, il quale tien Scuola in Calabria, Jacomo della Croce a Lucca. Et qui in Bologna leggiamo cinque, ovvero sei per ducento Ducati, i quali insieme tutti non faressimo un' onorevol pedante . . . . .

Italorum Gymnasiorum Professores, & conditiones memorantur.

Ho avuto grandissimo contrasto nell' entrar in Lettura, e nell' esservi già duoi anni confermato, nè mi saria stato possibile, se non fosse stato l' incredibile favore, ed ambizione di tutto lo Studio. Et per Dio che io credo, che per questa causa mia da circa venti volte il Rettore Leggista, & Artista, radunate tutte le Nazioni dei Scolari, siano andati ad instare appresso i Governatori, Legati, & il Reggimento delli XL. Alla fine abbiamo ottenuta la pugna, nè temo più alcuna guerra. Leggo alla Lettura ordinaria della sera a ore 22. con concorso di Uditori Oltramontani, e Cismontani nobilissimi circa 100. e più; e nel principio dello Studio ebbi tanta frequenza, che nell' occupar dei luoghi due volte nacque rissa fra gli Scolari. Incominciai le Filippiche di Cicerone, e Catullo, e così al presente continuo, e tutto il re-

Non sine magna difficultate Lecturam se duobus ante annis consecutum fatetur; maximèque ad id Reformam, & Scholarium utriusq; Universitatis instantias, & preces valuisse testatur.

Magna Scholarium cum Italorum, tum aliarum gentium Bononiam adventantium multitudo Romuli Lectionibus adest.

MONUM. CXXIIII.

Quibus in Studiis, quotque temporum ſpatiis, & quam multos, & præclaros Adoleſcentes Romulus tum publicè, tum privatè inſtituat.

reſto de' Profeſsori della Facoltà noſtra inſieme non hanno la metà dell' Uditorio mio, benchè abbiano molto più ſalario di me. Il che più pazientemente ſopporto, compenſando l' onore, e le private Lezioni, le quali tutte, præſertim le Nobili, ſono mie. Leggo oltre le pubbliche in caſa del Protonotario Ceſarini, Nipote dell' olim Cardinale Ceſarino, Plinio nel VII. In caſa di un Baron Franceſe, Gellio. Item ad un Barone Boemo, ove conviene tutta la Nazione Germana, le Epiſtole ad Atticum. Item in caſa d' un Gentiluomo Bologneſe, di precipua Caſata, li Faſti d' Ovidio: alle quali occupazioni appena baſtami il giorno. Quello tempo mi vaca, lo do a ſtudiar Greco pur ſenza Precettore; nondimeno ſpero fare, che non avrò invidia in pochi anni ad altro Profeſsore d' Umanità; il che aſsequendo, tenterò via non meno laudevole, che ſe fin' ora del continuo haveſſi ſtudiato nell' Arte.

MONUM. CXXV.

Cod. A. 59.

Gregorio in Udine a Romolo in Bologna.

6. Maggio 1519.

Romulus ad Patavinum Gymnaſium vocatus.

Quanto alla Lettura di Padoa ſappi, che per molte vie ho inteſo, che il Bicichio è in tanta diſgrazia, che non potria eſſer più, per eſſere inertiſſimo, donde concludo, che ſia impoſſibile, che vi duri, benchè Meſſer Vegezzio Rettor dei Leggiſti, eſsendo venuto di qui già meſi trè, mi parlava ad plenum, che li fariano un' altra Lettura con 100. Fiorini alle Scuole de' Leggiſti, e che il Bicichio ſaria poi cacciato, e reſtereſti ſolo, perchè la Signoria deſiderava, che vi foſſe una ſola Lettura, onde egli teneva per certo, che, ſe ſi ballotaſſe fra te, e Bicichio, tu la otterreſti con maſſima fama, e che lui ſaria ſcacciato per una bella beſtia, come lo è; e queſto ſeguendo fareſti ſubito fuora d' ogni travaglio, ed in tanta riputazione, e guadagno, quanta ne ſia ſtata altro a ricordanza di Uomo vivente in quello Studio. Se anche leggeſſe alle Scuole de' Leggiſti queſto primo anno, facilmente li ſaria forza levarſi, per eſsere in vero pedantiſſimo; ſicchè io concludo, che cadauno dei ſtipendj mi piaceriano, perchè in concorrenza ti valeria per lo meno

Bicichius, ideſt Marinus Becichemus, Patavii Lector parvi habitus.

Lectura Patavina conditiones non tenues a Romulo expectanda, aliaque præterea commoda, & officia.

Du-

MONUM. CXXV.

Raphael Veenosus pariter improbatur.

Bononiensis aer Romuli valetudini infensus.

Magnæ apud Venetos Patres pro Romulo ad Patavinam Lectiuram ciendo commendationes.

Ducati 150. all' anno, e quando fosti solo, più di Ducati 200. E poi ne seguitia di molte altre commodità si di Officj per me, sì della Lettura di Venezia, perchè manco si satisfanno di Raffael Veenoso triviale maledetto, e perfido, avvegnachè egli perseguita il Bicichio etc. Donde io ti concludo, che subito tu scrivi una tua al detto Meiser Vegezzio, pregandolo, che secondo mi ha promesso, che faccia, che tu sii spedito, perchè il desidero io, secondo che li ho detto, e che tu vi venga, si per mutar quell' aria di Bologna, la quale ti è pestifera . . . . . e spero sarà il dovere, avendomi detto quello, che io ho inteso anche da altri, che è stata cosa più mirabile, che fosse mai per Lettore dello Studio di Padova, all' Illma Signoria di Venezia in tua commendazione, & præcipuè di quel Sig. Conte Piemontese, il quale ha fatto più, che se tu li fossi stato fratello, insieme col Marchese di Saluzzo, ed altri primarj Oltramontani di quello Studio, ed anche Citramontani, adeo che sono stati più volte dalla Signoria più di 100. Scolari per volta, e fummi detto da un' altro, che vi andarono una volta Più di 300. talmente, che loro era stato promesso indubitatamente di condurti per Pregadi, come spero sarà presto, perchè al principio d' Agosto, alla più lunga, si suol provedere allo Studio.

MONUM. CXXVI.

Cod. A. 59.

Romolo da Venezia a Gregorio suo Padre in Udine.

Li 14. Decembre 1519.

Die 13. *Decembris* 1519. *Romulus suffragiis omnibus annuentibus ad Patavinam Lectiuram eligitur.*

Magna cum gratulatione, & laude a Senno Venetiarum Duce, & universo Patrum Collegio excipitur.

Avvisovi, come a laude dell' Onnipotente Dio jersera, che fu lo dì di S. Lucia; con grandissimo honore a tutte ballotte fu preso per parte nell' Eccelso Consiglio di Pregadi, ch' io fussi condotto a Padova per legger Greco, e Latino a qual' ora, e Scuola si volesse, purchè non concorra alla medesima ora del Bicichio; & oggi sono stato particolarmente a ringraziare il Sermo, & poi admesso in pubblica Udienza ho usate parole accomodate, & son stato accettato con gratulazione, & laude di tutti; del che ne sia lodato Dio. Lo Sermo ha fatta una buona testimonianza di ricordarsi di voi, e casa nostra, ed hammi fatto con- tutto il Collegio in-

MONUM. CXXVI.

Ejuſmodi electio a Ser. Rep. Gubernatori, & Senatui Bonon. nunciatur.

Lectura ſalarium.

De venia a Senatu impetranda Romulus dubitat.

incredibil feſta. Hoggi mi fanno Lettere di paſſo, e raccomandatizie al Rmo Governatore, e Magnifici Quaranta per eſpedizioni delle robe mie, e mi ſolliecitano alla ritornata con grandiſſima eſpettazione. La condotta è paſſata con Fiorini 80., e 20. d' augmento al Bicichio; ma tutti li patroni miei mi hanno affermato, che lui ſgombrerà il Paeſe, e che poi ſubito mi daranno un ſalario, e l' altro. Hor dubito molto di poter impetrare la licenza da' Bologneſi, perchè cum velis, nolunt &c. . . . Meſſer Franceſco Bragadino, e M. Maria Zorzi mi fanno incredibil caccia, e li pare, che un' ora ſia mille anni prima che giunga.

MONUM. CXXVII.

Rebus jam ad diſcedendum, & ad Patavinam Lecturam ineundam paratis, novas Bonon. Lectura conditiones, ſuaſu Gubernatoris, amplectitur Romulus, ut Bononiæ conſiſtat.

Cod. A. 59.

Romolo da Bologna a Gregorio ſuo Padre in Udine.

10. Febr. 1520.

Per una mia, dopo che ritornai a Bologna, vi avviſai delli andamenti miei, dappoi non vi ſcriſſi altro, perchè penſava alla più longa al fin di Gennaro dover eſſer con voi. Ora ſappiate, che al preſente ſono nel maggior affanno, e tribolazione, che mai al Mondo foſſi; imperocchè già vendute le robe mie, e ricevutone danno di tutte di Ducati 25., e con quello, che m' era reſtato di denari avuti da voi, e raccolti di tal vendita, reſtandomi pure tanti danari, che poteva giungere a Venezia, ed avendo già condotta la barca, e mandatale la roba, per una mia triſta ſorte preſi uno ſtrano conſiglio, dubbioſo di non poter riſcuotermi a Padova dalli danni, e vedendomi carico di fatica per la lezion Greca, e Latina, eſſendomi qui fatta condizione aſſai bella, ed onorevole, longamente tergiverſando trà il sì, e il no, ed ora accettando, ora riſiutando, ultimamente Monſignor il Governatore, maſſimamente ſpronato da Scolari, con ſuoi comandamenti penali allegando eſſer io ſtato prima obbligato co' Bologneſi, che con l' Illuſtriſſima Signoria, ed averli ſempre dato intenzione di ritornare, e poi averli uccellati, mi ha coſtretto accettare, e raffermarmi qui per molti anni: ſalvando però queſta eccezione, ſe la Illuſtriſſima Signoria con pena d' eſiglio, o confiſcazione di beni, o altra pena non mi revochi, allora m' intenda d' eſſere

MONUM. CXXVII.

Qua deliberatione capta vehementer animo angitur, fuique ipsum consilii pœnitet.

re sciolto di tal contratto; e così Sua Signoria per sue Lettere, hammi preso a difendere appresso la Illustrissima Signoria: la qual cosa, poichè è stata conclusa, m' è stata di tal dolore, che più smanio, e mi affliggo, che se avessi persa la moglie, e figliuoli, ed ogni cara cosa, nè dì, nè notte mi dò pace, ma tutte l' ore spendo piangendo la leggerezza, ed imbecillità dell' animo mio, talmente che son divenuto più estenuato, che un Crocifisso, e grandemente dubitomi di non incorrere per tal' affanno in qualche strana infermità, e tanto più essendomi l' aria nimicissima; per il che, ed il continuo piangere appena ritengo la vista degli occhi, nè vi vedo rimedio, salvo non sia liberato, ch' io mi vada a Padova, perchè se bene sarà tarda l' andata mia, ristorerò il danno col leggere le vacanze. Onde, carissimo mio, ed ornatissimo Padre, pregovi vogliate ingegnarvi di liberarmi da tanti affanni, e con la prudenza vostra correggere la stoltezza mia. Il che non si può fare con altro miglior mezzo, che venendo a Venezia dire qualmente sono stato sforzato per comandamenti, li quali appariranno, perchè li mando per Angelo Michel, con le Lettere esecutorie di Monsignor il Governatore, e celare il consentimento mio; dappoi dimandare all' Illustrissima Signoria un comandamento a me sotto qualche aspra pena, ch' io venga ad attendere all' obbligo: dappoi una lettera da qualche parte (non potendosi dalla Signoria) a questo Governatore, che mi liberi da quì, perchè in vero, quando tutto il Mondo mi concedesse il starvi pacificamente, pure per il pensiero d' aver assentito contra il debito a tal cosa, per l' aria, per il desiderio di voi, sempre me ne rammaricherò, nè mai leggerò, e farò altra operazione di mio mestiere bene; e così consumandomi la vita, avendo già consumata quella poca roba, che avea, lascierò li figliuoli allo Spedale, per non aver un sol quattrino, che mio fosse, da venire a Venezia, e sol Ducati otto imprestati. Mi sono a questo ridotto, del che mai, e poi mai mi contenterò. Un' altro rimedio vi è, quando poteste venire in persona, e dimandarmi al Governatore, e Reggimento, che mossi a pietà mi concedessero a voi, essendo che io potessi far mia vita con voi; e non attendessero al mio obbligo, perchè mi era portato leggermente, e giovenilmente, e non potendo voi ciò fare, facette scrivere al Governatore qualche compassione vol lettera, ed ancora voi ne scriveste una, e pregare an-

Patrem rogat, ut Venetias properet, Venetumque Senatum etiam atque etiam obtestetur, ut electionem ab illo factam modis omnibus tueantur, consensu Romuli pro Bononien. Lectura dissimulato.

Gubernator Bononiæ literis per Angelum Mich. Guastavillanum ad Remp. missis Romulum excusat.

Rei domestitæ angustia, quibus premitur Romulus, perpetuusq; animi cruciatus, & mœror, si post violatam a se fidem Bononia morari debeat.

Illud etiam Patri proponit, ut Bononiam veniat, & suis ipse præsens precibus, aut quando venire non libeat, per suas, aliorumque Literas a Gubernatore, & Senatu veniam sibi, & discedendi facultatem obtineat.

Digitized by Google

MONUM. CXXVII.

ancora dolcemente il Pio, che per amor voſtro s' intrometta in ciò, e ſupplichi per me paternamente; e ſiccome in voi ſpero ne ſarò liberato, potraſſi prendere qualche partito di denari per la via della Illuſtriſſima Signoria, o per altro modo. E a tutte queſte tali coſe aſpetto riſpoſta, la quale manderete per Angelo Michel, che viene a Venezia per far mie ſcuſe con mie lettere.

MONUM. CXXVIII.

Cod. A. 59.

Gregorio in Venezia a Romolo in Padova.

21. Febraro 1520.

De Romuli legitimatione agitur.

. . . Alfine M. Gaſparo della Vedova mi concluſe, che non fu giammai fatta dal Doge alcuna legittimazione, e mi conſigliava, che non la faceſſi, perchè ſaria poi da diſputare, s'ella foſſe valida, ed autentica; ma che molto meglio, e più ſicuro ſaria farla per il Pontefice, ovvero per queſti Gentiluomini di qui, che hanno tali privilegj dal Papa, o dall' Imperatore, dalli quali dipende ogni autorità; onde ho concluſo di andar Domenica alla volta di Udine, e ſubito giunto ti ſcriverò il ſucceſſo del tutto. Io non diſſi a M. Gaſparo, che io ti aveſſi prima legittimato, perchè non accadeva; tamen io ſono di quella opinione, che ſempre fui, cioè, che quella del Graſſi ſia in tutta perfezione, e validiſſima ad ogni noſtro propoſito, benchè io tentava maggior fermezza più per ſoddisfare alla tua timidità, che a me ſteſſo: ſicchè, come diſſe Meſſer Rigantonio, il mio Teſtamento è quel, che conferma la legittimazione ſopra il tutto, quale ſpero pubblicare avanti Paſqua Dei Gratia; nè mi accade, che tu mi mandi il privilegio, perchè mi baſta, che nel Teſtamento ſia per aſſerto detto privilegio ſub die, & milleſimo &c.

Privilegium legitimationis hujuſmodi a Familia de Graſſis indultum.

Gregorii Patris teſtamentum dictam legitimationem confirmat.

Cod.

MONUM. CXXVIIII. *Cod.* A. 59.

Romolo da Ferrara a Violante in Bologna.

27. Febraro 1720.

Angelus Mich. Guaſtavillanus Venetiis redux Romulum Ferraria convenit, eumque de indignatione Reipublicæ, & Nobil. Virorum certiorem facit.

Avviſovi, che eſſendo reſtato in Ferrara per aver l' occhio particolarmente indiſpoſto a tollerare i fumi delle barche, e venti, ho in continuo affanno, e paſſione aſpettato il ritorno d' Angelo Michel, il quale oggi è venuto, ed hammi portato peſſime nuove, cioè lettere dal noſtro Egnazio, e da Don Paolo, i quali m' incaricano, e mi ſcrivono ch' io ſono caricato da tutta quella Nobiltà, come ſe tutto queſto andamento foſſe per mia frode proceduto, e più, che io intendo, mio Padre in tutto eſſerſi da me alienato, ed in queſto caſo, non altrimente che ſe io foſſi in colpa, mi riprende, e chiamami la rovina di caſa noſtra, ed ultimamente dimoſtrami al tutto volermi abbandonare da qui in poi d' ogni conſiglio, ed ajuto, e minaccia di non voler mai ſcrivermi, talmente che abbandonato, ed odiato da tutti, fallito della roba, e dell' onore, ho preſo conſeglio ſoprafedere quì in Ferrara, finchè mi avviſiate di quello, che ſi contiene nelle lettere del Veſcovo di Pola al Reverendiſs. Monſignore. Mi piaceria, che conſigliandovi con mio Compadre Meſſer Gio. Battiſta Pio, adoprando poi il noſtro Meſſer Sebaſtian Scarpo, ed altri amici, teneſte modo, che ſenza alterazion grave del Reverendiſs., e di quel Magnifico Reggimento, ſi poteſſe levar le robe noſtre da Bologna; perchè eſſendo io ſmarrito, e perſo mai mai più ſpero poter ſatisfarli, quando bene i Veneziani foſſero contentiſſimi, perchè in vero vedo apertamente, che la viltà dell' animo mio m' ha diſtrutto, e rovinato di fama, onore, e guadagno, e delibero andiamo a ſtare a caſa, e laſciando Padova, e Bologna, ſe far ſi potrà, per pacificare il noſtro Vecchio ci riduchiamo per qualche anno a viver con lui, ed attendiamo a qualche utile, laſciando la miſera riputazione de' Studj univerſali a chi la vuole... Io quì ſon ben trattato dal noſtro Meiſer Bartolomeo, e guarito quaſi dell' occhio, ma molto ſcompigliato nella mente; onde deſidero riſpoſta, che ſecondo quella farò. Voi in queſto tempo conſolatevi, e ſtate in orazione, pregando Dio ne cavi dalla preſente tribolazione.

Violantillam Romulus monet, ut officiis amicorum adhibitis liberam rerum ſuarum tranſmiſſionem a Gubernatore, & Senatu requiras.

Poſtbabitis Patavii, & Bonon. conditionibus ad paternam domum cum familia redire, in eaque manere conſtituit, ut Parentis amorem recuperet.

Gregorius quoq; Romuli Pater ejus conſilia improbat, iratumq; & alienum ab illo animum oſtendit.

Cod.

MONUM. CXXX. *Cod.* A. 59.

Romolo da Bologna a Gregorio in Udine.

8. Maggio 1520.

Universus de Romuli ad Patavinam primùm, post Bonon. Lecturam electione tractatus. Perturbatio ipsius, sollicitudo, metus, affectusque alii ancipites, ac molesti propter varias difficultates, controversias, atq; incommoditates exinde ortas. Deliberatio denique ex Patris voluntate, & consilio capienda. Tota propterea epistola digna est, quæ per singulas partes attentè perlegatur.

A quattro vostre ricevute a diversi tempi, ma di un medesimo tenore, faccio la presente risposta, la qual, perchè forse sarà alquanto longa, dividerolla in trè parti, e nella prima vi esponerò la causa del mio tanto affannarmi, e struggermi, acciocchè conoscendola di grandissima importanza, non prendiate maraviglia, se come nelle dispiacevoli infermità del corpo ogni efficace medicina non li giova, così in questa mia sinistrissima sorte, e giusto dolore, niuna consolazione nè d' altrui, nè vostra, benchè pietosa, amorevole, e veramente paterna li può essere sufficiente medicina; l' altra parte adoprerò in dimostrarvi, che salva l' onestà, ed utilità, non posso fermarmi, e rassettarmi in Bologna; nella terza, e conclusiva vi avviserò del pensier mio, il quale, quando a voi piaccia, delibererò mandarlo ad effetto; altrimenti prenderò alle cose mie quel partito, che voi loderete, e mi comanderete, perchè questo è il dovere, che io vi ubbidisca in ogni cosa, come a pietosissimo, prudentissimo, e dottissimo Padre; e tanto più, che non mi sapendo in tali imprese ben governare, altri non ho; a chi più debitamente, o più utilmente mi possa commettere.

